This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

383
Duesterdieck

HARVARD
DIVINITY
SCHOOL
Andover-Harvard
Theological Library

DE
REI PROPHETICAE
IN
VETERE TESTAMENTO
QUUM
UNIVERSAE TUM MESSIANAE
NATURA ETHICA.

SCRIPSIT
Friedrich Arminius Christian
FR. DUESTERDIECK, Dr. ph.
STUDIIS IN SEMINARIO PASTORALI REGIO HANNOVERANO REGENDIS
PRAEFECTUS, SOCIETATIS HIST. THEOLOG. LIPS. SODALIS
ORDINARIUS.

DIVINITY SCHOOL
LIBRARY.
HARVARD UNIVERSITY

GOTTINGAE.
SUMPTIBUS DIETERICHIANIS.
1852.

383
DUESTERDIECK

Hunc meum libellum conscribere et doctorum hominum benignis judiciis offerre cur operae pretium esse visum sit, aut ipse, ut legitur, proprio Marte evincit, aut non refert, ut amplius equidem enarrem. interim Latino stilo quam ob caussam usus sim, dicam. Primum enim juvabat sane me doctas res agere docto sermone. deinde vero quum per hos quattuor fere annos vulgares homines eo ferri saepe viderem, ut et sanctas res omnes cum pietate venerari et honestam liberalioris doctrinae speciem honorare in suum damnum suamque ignominiam dediscerent, magna me cepit spes fore ut Deo bene adjuvante eo facilius mihi contingeret nobiliorum hominum assensus, quo apertius vilem multitudinis applausum aspernatus fuissem. Faxit Deus.

383

INDEX.

PRAEFATIO.

De disputationis caussa, consilio ac partitione . . . . Pag. 1

PARS PRIMA,

HISTORICA ET CRITICA.

CAP. I. De Novi Testamenti scriptoribus 5
CAP. II. De iis, qui ante F. Schleiermacherum scripserunt . 10
A. De Patribus ecclesiasticis 11
B. De Theologis dogmaticis et supranaturalistis . . . 27
C. De Theologis rationalistis 40
D. De Herdero 48
CAP. III. De F. Schleiermachero et iis, qui post illum scripserunt 51
A. De Schleiermachero 51
B. De iis, qui post illum scripserunt 55
a. De Hengstenbergio 55
b. De Hofmanno 61
c. De aliis nostrae aetatis viris doctis, ... 67
α. tum iis, qui historice potissimum et critice disputaverunt, ... 68
β. tum iis, qui theologice potissimum disseruerunt. . 71

PARS ALTERA,

THETICA. PROPONITUR AUCTORIS SENTENTIA.

CAP. I. De typi a vaticinio prophetico distantia typique natura 74
CAP. II. De propheticae virtutis conditionibus ethicis et historicis 82

A. De conditionibus prophetarum omnium communibus. Pag. 82
a. De universae humanitatis conditione ethica . . . 84
b. De conditionibus ex foedere Dei cum hominibus facto atque ex theocraticae vitae communione profectis. 87
α. De nativa divinae revelationis veritate ac necessaria perspicuitate 90
β. De historiae auctoritate 114
γ. De prophetarum omnium certo nexu 135
B. De singulorum prophetarum conditionibus peculiaribus. 142

PRAEFATIO.

DE DISPUTATIONIS CAUSSA, CONSILIO AC PARTITIONE.

Quae ars est libros sacros, quotquot et in Vetere et in Novo Testamento collectos habemus, interpretandi, ea quum plurimis rebus sit satis impedita, summa fere, opinor, hac difficultate laborat, quae est in vaticiniis propheticis ut edicuntur primum explicandis, post ut advocantur judicandis et concinnandis. Solent enim Novi Testamenti scriptores ita uti Veteris Testamenti et historia et orationibus propheticis, ut incredibilem quandam excitent interpretum omnium dissensionem, utrum recte ac sincere an secus rem agant auctores disputantium. Contra eos enim interpretes, qui in quemcunque usum vetera exempla Novi Testamenti scriptores verterint, ita suo jure, divina scilicet inspiratione doctos, scripsisse illos defendant, clamant ii, qui non ita dictas primum fuisse prophetarum orationes, non ita res Veteris Testamenti actas arbitrati licentia aliqua usos esse Novi Testamenti auctores judicent, sive judaicum quendam et rabbinicum interdum abusum incusantes, sive communem aetatis atque indoctam de Veteris Testamenti re prophetica sententiam, errorem scilicet, et pium usum excusantes. In qua re saepe miratus sum, quid caussae esse possit, cur quo major fuerit disputantium industria et contentio, eo parcior fructus exstiterit atque incertior. Scilicet de singulorum qui-

dem vaticiniorum sensu atque auctoritate quamvis doctissime ab utraque parte disputetur, nisi de universa prophetiae notione ac natura conventum aliqua ratione fuerit, debellandi spem ego sane non video. Quale enim sibi quisque de universa re prophetica judicium effinxerit, inde omnem ejus de singulis vaticiniis sententiam pendere facile intelligitur. Itaque satis laudare non possum F. Schleiermacherum, quum in universa restauratae theologiae provincia sine dubio principem, tum in hac quoque, de qua agimus, disciplina auctorem gravissimum, quod et hanc quasi partem apologeticae, qualem sibi animo informaverat, theologiae proposuerit [1]), ut vaticiniorum ac typorum fines legesque recte describerentur, et viam quandam ad attingendam illam ingeniose ipse monstraverit ac muniverit. Sed Schleiermacherus quid qua ratione effecerit, postea videamus. equidem quid sentiam de rei propheticae natura recte intelligenda ac definienda, etsi ex iis jam conspicuum sit, quae de Staehelini libro [2]) satis erudito dudum disputavi, apertius tamen nunc dicam et copiosius. Ita enim spero fore ut appareat, quamobrem virorum doctorum de rei propheticae natura judicia et laudaverim interdum et saepius improbaverim. Etenim mihi quidem omnis et de communi virtute prophetica et de singulorum vaticiniorum origine ac nexu et quasi vita — si fas sit ita loqui — disputatio ita recte institui videtur, si omissis rationibus dogmaticis historica potius arte continetur. eam scilicet dico artem historicam, non quae externis solummodo rebus innaceat et implicetur saepius ipsis quam ipsa

1) Das rechte Maass in Feststellung und Gebrauch dieser Begriffe (Weissagung und Typus) ist vielleicht die höchste Aufgabe der Disciplin,« cf. kurze Darstellung des theol. Studiums, §. 46. Sämmtl. Werke. Theologie 1. Berl. 1843. p. 23. Videas etiam ejus auditorem, A. D. C. Twestenum, Vorlesungen über die Dogmatik der evang.-luther. Kirche. Ed. 3. Hamb. 1834. I. p. 376.

2) J. F. Staehelin, die messianischen Weissagungen des A. Testaments. Berol. 1847. cf. l. Götting. gel. Anzeigen. 1848. p. 1312 sqq.

illas explicet, sed quae nulli alienae causae addicta, neque studio neque invidia impedita et res externas aequa lance ponderet et rerum externarum ac mutabilium causas internas atque immutabiles legesque, quae in omni historia vigent, divinas investiget, reperiat, defendat. Tunc igitur, quaeret quispiam, causarum divinarum leges quasdam esse vis legemque historiae? scilicet in prophetarum vaticiniis divini aliquid tu inesse ais, id est revelationem, num tu divinam hanc revelationem atque inspirationem legibus adstringes quibuslibet historicis, nempe humanis et fortasse tuis? [3]) Non ego, optime. At si qui est ordo in divina quoque revelatione, certe leges erunt. quibus ordo ille sustineatur, leges, inquam, divinitus sancitae. quodsi ordo revelationis ex historia recte percepta pateat, opinor, et leges emergent divinae, quas sine temeritate inquiramus, immo vero cum pietate veneremur. Nam quin re vera Deus se suo populo Israelitico revelaverit omnisque, quae in illo viguit, vitae theocraticae verus auctor atque adjutor fuerit, tantum abest ut dubitem, ut sine hac quidem re — partim quidem miraculosa et quae supra, non contra historiam sit, partim tamen, quippe intra historiam facta, historicis quoque legibus subjecta — miraculo quovis mihi quidem ipsa historia illius populi mirabilior videretur. Fuit profecto divinus fons, unde hausta theocratica populi vita convaluit, neque vero homines, divinae revelationis quasi praecones, sine certa quadam animi institutione constantissimisque revelationis et accipiendae et tradendae legibus vivebant, agebant, loquebantur, et quum ex communi vita theocratica singularis prophetarum virtus emergeret, in quorum quidem provinciam totus vaticiniorum ordo cadit, haec quoque excellentia suis conditionibus tenebatur, legibus temperabatur ethicis atque historicis, quas quoniam secuta est res prophetica, et ipsa

3) Ejusmodi exceptionem leges apud Hengstenbergium (Christologie des A. Test. Berol. 1829. I. 2. p. 193), totius illius, quam improbo, sententiae defensorem gravissimum et doctissimum.

per se vere ethica fuit, non magica, et scriptoris artem historicam sine injuria nec invita patitur.

Sed his quidem rebus ita actis, quum satis, ut puto, appareat, quanam ratione inquiri velim atque illustrari prophetiae naturam, jam quid viri docti de hac re senserint videamus, ita enim recte institui disputatio videtur ut virorum doctorum sententiae enarrentur prius ac dijudicentur, quam quid mihi placeat proponam.

PARS PRIMA,

HISTORICA ET CRITICA.

CAP. I. DE NOVI TESTAMENTI SCRIPTORIBUS.

Et de sacris quidem Novi Testamenti scriptoribus primum ac separatim agere ideo mihi visum est, quoniam non testes solummodo veritatis illos esse judico, sed auctores quoque et judices. Quidquid enim et de virorum doctorum sententiis judicabo et de re Veteris Testamenti prophetica ipse docebo, ad summam hanc Novi Testamenti perfectam regulam id omne examinari volo, nec tu ex me volente aut sciente audies, quod divinam librorum sacrorum auctoritatem comminuat. Itaque si qui Novi Testamenti auctor vaticinium esse dixerit in hac vel illa veteris prophetae oratione, non ego perfecto negare ausus sim, eum potius prophetam, si quid prophetasse illum ajant apostoli, id revera prophetasse ajo. errasse in hisce rebus apostolos prorsus nego. divino enim spiritu et illos et prophetas ductos fuisse defendo. Quod, quaeso, semper tenebis ubicunque de hominum, ut Dei interpretum, natura, viribus, conditionibus historicis atque ethicis ita disputasse videor, ut divinae quidem auctoritatis qui locus esse possit minus appareat. Quid enim? nonne hoc ipsum ago, ut divina in hominibus prophetis auctoritas quam sit vera et ethica demonstrem? ergo non is sum, mihi crede, qui ex duabus rebus, quarum quidem concordiam volo monstrare, deleam unam. Verum non bene rem agere mihi quidem videntur ii qui, quoniam sacros Novi Testamenti scriptores pro scientiae magistris potius quam fidei religionisque auctoribus haberi volunt, internam rei propheticae rationem erudita disquisitione indagandam ipsi

negligant. Nimirum, ut brevius loquar atque audacius, *quid* dixerint Veteris Testamenti prophetae, quid Deus potius per illos dixerit, recte quidem discitur a Novi Testamenti auctoribus, ejusdem scilicet Dei nunciis, *quomodo* dixerint illi, non item. Prophetiarum enim veterum ac typorum divinitus editorum divinum sensum certissimamque veritatem advocant apostoli, formam dicendi, artem humanam, in qua suae leges vigent ethicae atque historicae, non explicant. Has vero leges volo indagare atque illustrare, quam quidem rem etsi ita solummodo recte institui confiteor, ut in adhibendis vaticiniis vel typis non errasse apostoli appareant, egregie tamen falli mihi videntur ii, qui veterum prophetarum genuinam mentem ac vaticiniorum nativum ordinem caussasque primas ex ipsis apostolorum testimoniis illustrare conentur. etenim quid effecerint librorum sacrorum interpretes, judicant sacri auctores, scitam interpretis artem non docent.

Etsi ea non desunt, ut puto, in sacro Novi Testamenti codice, quibus in rei propheticae natura caussisque intelligendis optime adjuvemur, quae veritatis vestigia indicemus nunc, post ubi quid nobis visum sit accuratius dicendum erit, sequamur ipsi.

Summa vero lex, quam in adhibendis veterum prophetarum vaticiniis Novi Testamenti scriptores omnes secuti sunt, in hac re continetur, quod fuerint illi divinae revelationis ministri. Sanctus enim Spiritus (1 Petr. I, 12. 2 Petr. I, 21. Act. I, 16. Matth. XXII, 43), sive Dei dicitur (sicuti plerumque fit) sive Christi (1 Petr. I, 11. cf. Apoc. XIX, 10.), quoniam sanctos Dei homines afflavit iisque quid dicendum esset (2 Petr. I, 21) suppeditavit [4]), — si qui enim

4) Eandem de prophetis sententiam docti Judaei, qui apostolorum aetate scripserunt, Philo et Josephus, ferebant. Ille enim libro I, quem de vita Mosis composuit (Opp. ed. Mang. II, 125) Bileamum inducit de semet ipso loquentem: *Λέγω γὰρ οὐδὲν ἴδιον, ἀλλ' ἅτ' ἂν ὑπηχήσῃ τὸ θεῖον.* Et copiosius descripsit prophetam, quem Moses venturum esse dixerat (Deut. XVIII, 15), hisce verbis (de

homo prophetat (προφητεύει), is non a semet ipso (οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ. Joh. XI, 51.) loquitur, nec ex sua voluntate edere potest vaticinium (2 Petr. 1, 21) — sed hac quidem re efficitur, ut Deum ipsum audias loquentem quum prophetae orationem perceperis. Deus videlicet per prophetas suos ipse loquitur (Matth. I, 22. Luc. I, 70. Hebr. I, 1). Divina igitur prophetiae caussa quum his quidem talibusque locis permultis clara voce doceatur, ut unum certe et latissimum quidem illud hujus rei testimonium addamus, ex ea quoque ratione et necessitate emergit, qua Novi Testamenti auctores Christi atque ecclesiae recens natae historiam cum veterum prophetarum vaticiniis componi voluerunt. Haud raro enim rem aliquam ita accidisse ajunt, ut vaticinium antea editum impleretur (ἵνα, ὅπως πληρωθῇ Matth. I, 22. VIII, 17. XII, 17. al.), immo vero necesse fuisse (δεῖ πληρωθῆναι. Act. I, 16) Petrum consuli (cf. Luc. XXIV, 26. 46. Joh. XX, 9. Matth. II, 4 sq. XVII, 10), ut evenirent si quid a prophetis praedicatum fuisset futurum. Ergo enim non idem omnes interpretes de hisce locutionibus sentiunt, eorum tamen ignaviam dudum explosam esse (a Winero, Grammat. d. neutest. Sprachidioms. Ed. 4. Lips. 1836 p. 430 sq. alii) judico, qui in particulis ἵνα et ὅπως eam tantum vim inesse puta-

monarchia lib. I. Opp. II, 222.): προφήτης θεοφόρητος — λέγων μὲν οὐκ ἴδιον οὐδέν· οὐδὲ γὰρ, εἰ λέγοι δύνατο, κατολαβεῖν ὅγε πάντῃ μετεωρίζεται ὥσπερ καὶ ἐκφερόμενος· ὑφὰ δὲ ἀνωτέρω φερόμενος, καθάπερ ὑποβάλλοντος ἑτέρου. Ἑρμηνεῖς γάρ εἰσιν οἱ προφῆται θεοῦ κατεχρωμένου τοῖς ἐκείνων ὀργάνοις πρὸς δήλωσιν ὧν ἂν ἐθελήσῃ. Eodem fere modo Josephus prophetas appellat »divinos (θειούς)«, atque de Bileamo censet ita: καὶ ὁ μὲν τοιαῦτα ἐπιθειάζειν οὐκ ὢν ἐν ἑαυτῷ, τῷ δὲ θείῳ πνεύματι πρὸς αὐτὰ κεκινημένος (Ant. lib. IV. c. 6. §. 5. cf. lib. X. c. 2. §. 2). Quid mirum? Si enim exceperis illud οὐκ ὢν ἐν ἑαυτῷ, et quae sunt ejusmodi, omnia haec de prophetis judicia ex eodem Veteris Testamenti fonte, quo quidem Apostoli non aliter ac Judaei isti usi sunt, manaverunt. Exempli gratia ea quoque comparare liceat, quae de apostolis, nimirum Novi Testamenti quodammodo prophetis, in eandem fere sententiam dicuntur: Matth. X, 20. Joh. XVI, 13. XIV, 26. 1 Cor. II, 10.

verunt, quam recte in voce ὥστε ponunt. rectius omnino il, qui certum quoddam Dei consilium et divinam aliquam legem ac necessitatem dici intellexerunt. Hoc enim rei actae cum vaticinio ante edito commercium indicatur, ut, quoniam utrumque pariter a Deo pendeat, quippe qui et res omnes agat atque moderetur et futuras esse illas, sicuti placuerit ipsi, per prophetas aperiat, si quid ab illo, quod eventurum sit, praedicatum fuerit, id ut ita eveniat necesse esse videatur [5].

Sed ex his quidem rebus omnibus quemadmodum Novi Testamenti auctores veterum prophetarum vaticiniis usi fuerint satis intelligitur, quam quid de ipsius prophetiae natura ac conditionibus statuerint. Quod enim ad unum omnes egregio consensu et ipsorum quoque prophetarum auctoritatem secuti ajunt, fuisse illos divinitus incitatos atque instructos, haec ipsa res est, quam illustrari volumus eruditaque disputatione ponderari. An eandem plane rationem esse censes nequissimi Cajaphae, innocentem Jesum pro universo populo sacrificantis atque divini Jesajae servando mundo expiatorem annunciantis? Scilicet istum quoque „prophetasse" judicat apostolus, et male, opinor, narrat Origenes (Commentar. in Jo. XI, 51. Opp. ex editione Ruaeorum Vol. IV p. 384 sq.), quum μάντεως officio functum esse sacerdotem, sicut et Bileamum (Num. XXII sqq.), non προφήτου dicat. nam divini alicujus eloquii interpretem, indignissimum quidem illum atque invitum et inscium, divinitus tamen incitatum, facit Cajapham apostolus. Etsi id qua ratione fieri possit non docet, equidem, ut postea accuratius dicam, typice locutum fuisse arbitror sacerdotem, non prophetice, si perfe-

5) Eodem prorsus sensu Barnabas (Epist. c. V) scripsit: αὐτὸς ἠθέλησεν οὕτω παθεῖν· ἔδει γὰρ, ἵνα ἐπὶ ξύλου πάθῃ. Λέγει γὰρ ὁ προφητεύων ἐπ' αὐτῷ κτλ. Posteriores patres, etsi formulam quidem illam apud eos invenisse me non commemini, tantum tamen abest ut de re ipsa aliter sentiant, ut omnis eorum veterum vaticiniorum interpretatio in eadem plane ratione contineatur. Videas quoque Martyrium S. Polycarpi, cap. XII coll. cap. V.

ctam et castam prophetiam, quae nisi ab homine conscio et sui ipsius et intefactae veritatis edi nequeat, intellexeris.

Sed Novi Testamenti scriptores quum ita semper veterum prophetarum testimoniis utantur, ut haec quam cum Christo concinant demonstrent, interdum ea quoque immiscent quae ethicam aliquam rei propheticae rationem significent et conditiones aliquas historicas. Sicut Symeon, quem prophetico certe honore ornat Lucas (II, 25 sqq.), non justus solum et pius fuisse dicitur sed exspectasse quoque consolationem Israelis certissime futuram, antiquitus scilicet promissam atque confirmatam. Ita super illum venisse Spiritum evangelista narrat. Scilicet Dei sanctus Spiritus nisi in sanctis hominibus esse aut loqui non potest. Huc vero accedit alterum illud quod ἦν προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ, eo igitur certius recognoscere illum poterat, in quo haec, quam dudum speraverat, populi sui consolatio jamjam aderat, et adveniens Spiritus eo faciliorem habebat ingressum, nimirum id docens ac confirmans, cujus novitas temperaretur prioris spei consuetudine. Similiter Joannes baptista, etiam quum dubitaret de Jesu Christo, certius nihil habuisse dicitur ex veteribus prophetis acceptum quam hoc, fore ut veniat aliquando Messias (Matth. XI, 3). in hac vero ipsa spe ethica ea conditio et quasi ansa esse debebat, qua usus Dei spiritus aperiret Joanni praesentem Christum, Christique faceret praeconem vere propheticum. Sed in veteribus quoque prophetis certas fuisse inspirationis conditiones et humanam fuisse aliquam in munere prophetico partem ethicamque ejus cum divina auctoritate et liberam communionem, interdum indicatur. Veluti omnes simul prophetae de Christo dixisse feruntur (Act. X, 43. cf. Apoc. XIX, 10.), et ita quidem, ut princeps omnium et quodammodo auctor fuerit Moses (Luc. XXIV, 27). scilicet discere debebant a prioribus subsequentes. ut Davides (Act. II, 30) dicitur primum propheta fuisse, tum sancta Dei promissione doctus, fore ut semen suum regnum theocraticum nunquam non teneat. ex utraque igitur re, quarum prior perficeret et comprobaret

prophetica auctoritate alteram, conflatum fuisse de Messia ex morte suscitando vaticinium Petrus auctor est. Hominum vero prophetarum proprium studium et voluntatem et laborem quam strenue defenderint apostoli, videas in Petri epistola priore (I, 10 sqq.), melius, opinor; cum ipso Domino (Luc. X, 24) consentientis, quam beato DE WETTIO visum est, non juste in hoc loco apostolum judicanti. Quod enim Dominus, ut suae aetatis homines alliciat, de antiquis prophetis et regibus dicit, spe illos et cupiditate latos fuisse conspiciendi salutem jamjam in ipso omnibus paratam, id disertius atque accuratius Petrus de studio prophetarum atque opera in hoc consumta docet, ut divinam in sese vocem laetissime sonentem penitus perciperent et tempora quoque a Spiritu designata certius intelligerent. Utrumque igitur ponit apostolus, et divinum Spiritus vocem et hominem vocis audientem, intelligentem, cum sui conscientia examinantem. nec frustra, ut sentio. nam ea ipsa veritas, cujus praecones erant prophetae, ita innata sua virtute viget ut hominem edoceat atque in pleniorem intelligentiam semper provehat. Sed de his quidem rebus, etsi indicari eas arbitror in Novi Testamenti libris, quoniam latere potius ibi quam explicari videntur, satis nunc disputasse mihi videor. in posteriore libelli parte accuratius exponam quod sacra illorum scriptorum auctoritate confirmari judicavero. Interim quid viris doctis maxime placuerit videamus.

CAP. II. DE IIS QUI ANTE F. SCHLEIERMACHERUM SCRIPSERUNT.

Sententiarum vero, quas de rei propheticae quum universae tum messianae natura ac legibus viri docti dixerunt, duplex, si quid video, ratio est. Primum enim, universis quidem prophetiae caussis ac legibus parum investigatis, quum messianorum potissimum vaticiniorum auctoritas, cum Jesu Christi historia comparata, sive defensa ac collustrata sive oppugnata et negata fuisset a viris doctis, quorum qui-

dem illi honesta certe cum verecundia ac pietate rem semper gesserunt nec ignobili saepenumero cum doctrina, alteri incredibili haud raro cum arrogantia et levitate, neutri vero satis erudite et liberaliter et intelligenter, — sed nostra tandem aetate vir summo ingenio exstitit, qui totius quaestionis certam quandam atque eruditam regulam ac normam primus inveniret, F. SCHLEIERMACHERUS. Is quid effecerit et quibus in rebus sive probandus nobis videatur sive improbandus — non leviter enim virum acutissimum erravisse suspicor — postea quidem accuratius dicendum erit, verum hocce loco laudandus ille fuit, quod vulgaribus ac pedestribus et supranaturalistarum et rationalistarum, quos modo commemoravi, Theologorum opinionibus antiquatis novam quasi disputationum arenam patefecerit patefactamque suo sudore et victoria primus quodammodo inauguraverit. Quo diligentius enim qui post SCHLEIERMACHERUM de re prophetica scripserunt illius vestigia secuti sunt, eo felicius rem gessisse videntur, at minime eos audiendos esse judico, qui longissime ab illius auctoritate recesserunt. —

A. DE PATRIBUS ECCLESIASTICIS.

Et primum quidem Patres, proxime scilicet a Novi Testamenti aetate atque auctoritate distantes, de veteris prophetiae natura caussisque internis quid senserint, videamus. In quo loco laudandus antea est vir doctissimus Jo. AUG. ERNESTIUS, cujus „narrationem criticam de interpretatione prophetiarum messianarum in ecclesia christiana“ (v. Opuscula theologica. Lips. 1773 p. 495 sqq.) secutus interdum sum, unde HENGSTENBERGIUS quoque sumsit quae in libro suo antea dicto (I, 1. p. 353 sq.) de Patribus, messianorum vaticiniorum interpretibus, scripsit. Quamquam nostra quidem disputatio et quantum ab ERNESTIO distet et quem ad modum cum illo conveniat, perspicuum esse debet. Ille enim quam in explicandis atque adhibendis prophetarum vaticiniis rationem secuti sint Patres enarrat, utrum κατὰ ῥητὸν sive καθ'

ἱστορίαν intelligenda illa sint an per ἀλληγορίαν et θεωρίαν (id est μυστικῶς, si audias virum doctum) disputantes, at nos de usu quidem vaticiniorum et interpretatione nil agimus, quid de ipsius rei propheticae natura ethica ac rationibus historicis Patres senserint inquirimus. Sed ex hac quidem re, non recte, ut puto, ab Ernestio praetermissa, quum illa consequens demum sit, ea quoque, quae vir doctus exempla collegit minime sunt contemnenda.

Sed Patrum quidem nullus est, quin ex eadem prorsus ratione, in qua Novi Testamenti scriptores prophetiae summam legem esse arbitrati sunt, omnem prophetarum veritatem atque auctoritatem manare statuat, videlicet quod divino spiritu ad dicendum lati atque parati fuerint. Sed haec ipsa disciplina jam exculta aliquantum esse videtur atque accuratius definita, et pluribus quidem locis. Primum enim, etsi saepissime quidem tres summi numinis personae dicuntur, quarum unicuique prophetas inspirandi vis adscribitur, ex ea tamen ratione, qua Christus per prophetas locutus esse ac semet ipsum futurum praedixisse docetur, arctior quaedam et certior Novi Testamenti cum Vetere necessitas intelligitur ac diligentius in refellendis sive haereticis sive Judaeis et paganis adhibetur, deinde ipsa quoque rei propheticae natura, quo spectet, qua hominis conditione sustineatur, quae sit ejus a vaticinatione — ita enim eam, quae Graecis μαντεία nominatur, dixerim — distantia et quae sunt ejus generis plura inquiri a Patribus coepta sunt. Sed has quidem res, si placet, videamus.

Primo igitur Patres et qui Graecis et qui Latinis literis scripserunt ad unum omnes, ut Chrysostomi voce utar (ἐπὶ δὲ τῶν προφητῶν παρὰ πάντων ὡμολόγηται, ὅτι πνεύματος ἁγίου δόσις ἦν. Hom. in Jo. VII, 37. 38. Opp. ed. Montefalcon. altera Paris. Tom. VIII p. 345., sive Πνεύματος χάρις. Exposit. in Psalm. XLIV. Opp. V p. 191. ἡ ἄνωθεν — καταλθοῦσα δωρεά. Justin. M., cohort. ad Graec. Opp. acced. Athenag. Theoph. al. opp. Colon. 1686), prophetiam quidem a sancto Spiritu condonatam fuisse dice-

bant. Atque id quidem communiter, nam sive „Spiritu divino inundati“ prophetae dicuntur (sicut a TERTULLIANO in Apologetico suo libro, cap. XVIII), sive „unius Dei spiritu pleni quae futura essent pari et consonsa voce praedixisse“, atque „divini spiritus passi esse instinctum“ (ut est apud LACTANTIUM, divin. institt. lib. I cap. 4. et lib. IV cap. 5. et 11), sive illuminatos illos vocat ORIGENES a divino spiritu (ἐλλαμπόμενοι ὑπὸ τοῦ θείου πνεύματος, I, 696) „atque ex intelligentia sancti Spiritus nasci prophetiam judicat (ἡ ἐξ ἐπινοίας ἁγίου Πνεύματος. Comment. in Jo. I. Opp. IV p. 88. sicut et CLEMENS ALEXANDR. παρὰ Ἑβραίοις δὲ οἱ προφῆται δυνάμει Θεοῦ καὶ ἐπινοίᾳ. Strom. lib. I. Opp. ed. Potter. Oxon. 1715 p. 400): eadem fere omnium sententia est, haec videlicet, quam copiosius ac diligentius defendere Patres saepe solent, „ea loqui prophetas Dei, quae audient ab eo, nihilque aliud esse prophetam Dei nisi enunciatorem verborum Dei [6]) hominibus, qui Deum vel non possunt vel non merentur audire“ (AUGUSTINI quaest. in Exod. lib. II. Opp. ed. Benedict. Antwerp. 1700 sqq. Tom. III P. 1. p. 319), „nequaquam vero prophetas suo tantum arbitrio loqui, sed ex Domini voluntate, maxime de futuris, quorum solius Dei notitia est (HIERONYMUS, Comment. in Jerem. XXXVIII, 10. Opp. ed. Vallars. Veron. 1734 sqq. Tom. IV p. 1039. quocum comparare licet CHRYSOSTOMI illud, quod est in expositione Psalmi XLIV. Opp. V p. 191 sq. ὅτι οὐκ ἀνθρωπίνης σπουδῆς ἐστι τὰ λεγόμενα, ἀλλὰ θείας ἐπινοίας τῆς κινούσης αὐτὸν ἐρυγὴν τὴν προφητείας ἐκάλεσεν). Quam ob rem nemo nisi qui veritatis expers fuerit credendum iis esse neget, quasi vero illorum non divinae sed humanae voces sint (LACTANTII sequor sententiam, div. institt. lit. I cap. 4.). non propriam igitur esse prophetarum

---

6) Scite vero AUGUSTINUS hebraicam vocem נביא expressit similiter CHRYSOSTOMUS καὶ γὰρ ὁ προφήτης ἑρμηνεύτης ἐστιν, ἀλλὰ τοῦ θεοῦ. Hom. XXXVI in 4 Cor. XIV. Opp. T. X p. 394. AMBROSIUS in Jo. Opp. ed. Paris. 1661. T. II p. 887.

auctoritatem Patres senserunt, et rectissime quidem illud, neque sibimet ipsis sicuti placuerit locutos illos esse, sed omnem hominum auctoritatem et veritatem divino contineri impulsu et voluntate et revelatione, ex inspiratione denique manasse quidquid prophetaverint [7]). Unum adhuc ejus sententiae lautissimum testimonium adhibeamus ex ORIGENIS libro contra Celsum tertio (Cap. 3. Opp. Tom. I p. 449) sumtum, hocce: *πῶς οὐχὶ ἐξ εἰκότων κατασκευάζεται τοῖς ἀπιστοῦσι ταῖς παραδόξοις ἱστορίαις καὶ προφητείαις ὅτι οὐ πλάσματα ἦν τὰ τοιαῦτα, ἀλλά τε θεῖον πνεῦμα ὡς ἐν καθαραῖς ψυχαῖς τυγχάνον ταῖς τῶν προφήτων — ἐκίνει αὐτοὺς πρὸς τὸ προφητεύειν τινὰ μὲν τοῖς καθ' ἑαυτούς, ἄλλα δὲ τοῖς ὕστερον, ἐξαιρετῶς δὲ περί τινος ἐπιδημήσαντος τοῦ σωτῆρος τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων.* Sed hoc quidem ORIGENIS judicium ad alterum nos disputationis locum deducit. quae enim et de ethica prophetarum conditione (*ἐν*

---

7) Sunt vero ejusdem omnino sententiae testes JUSTINUS M. atque ATHENAGORAS, quos laudare dubito quidem, at praetermittere nolui. Ad illustrandam enim divinam prophetarum auctoritatem ea utuntur imagine, quae quum a MONTANO postea in suam de furore prophetico opinionem adhibita sit, a Patribus est repudiata. ATHENAGORAS enim (Legat. pro Christ. p. 9. in opp. Justini) de veteribus prophetis haec habet: *οἳ κατ' ἔκστασιν τῶν ἐν αὐτοῖς λογισμῶν, κινήσαντος αὐτοὺς τοῦ θείου πνεύματος, ἃ ἐνηργοῦντο ἐξεφώνησαν, συγχρησαμένου τοῦ πνεύματος ὡσεὶ καὶ αὐλητὴς αὐλὸν ἐμπνεύσαι.* Et JUSTINUS similiter, ex quo discas etiam quid sibi voluerit ATHENAGORAS audacius locutus de prophetis non in suis cogitationibus sed in divini Spiritus motione versantibus. nil enim furoris inesse voluit in ea quam *ἔκστασιν* dixit. JUSTINUS vero (l. c. p. 9) non opus fuisse ait prophetis doctos sermones (*λόγων τέχνην*), *ἀλλὰ καθαροὺς ἑαυτοὺς τῇ τοῦ θείου πνεύματος παρασχεῖν ἐνεργείᾳ, ἵν' αὐτὸ τὸ θεῖον ἐξ οὐρανοῦ κατιὸν πλῆκτρον ὥσπερ λυρίᾳ κιθάρας τινὸς ἢ λύρας τοῖς δικαίοις ἀνδράσι μιμήσαιτο τὴν τῶν θείων ἡμῖν καὶ οὐρανίων ἀποκαλύψη γνῶσιν.* Et mirum sane est quam cum ATHENAGORA concordet AMBROSIUS in »excessu« locutos fuisse prophetas docens. Eundem omnino dixit »excessum« quem graece appellavit ille *ἔκστασιν*. Etsi turbationem quandam mentis non recte adjecit Latinus. In hunc vero modum excessum prophetarum descripsit AMBROSIUS (de Abrah. l. II. c. 9. Opp. T. II p. 260): »Exceds

καθαρᾶς ψυχ.) et de Christo, quippe salutis conditore a prophetis potissimum annunciato, indicavit, gravissima mihi quidem ea videntur. Nonnulla vero prius explicanda sunt, quam quid Patres et de ethica hominum prophetarum conditione et de Christo cardine quasi prophetiae senserint enarrem. Utriusque enim rei fundamentum quodammodo est altius. Primum enim ea, quae in Christo et annunciato a prophetis et postea nato Novi cum Vetere Testamento maxime versatur necessitas, duplici quidem ratione illustratur a Patribus, una communi, ab apostolis quoque tradita, quod a Deo, summo scilicet rerum omnium sive futurarum sive instantium dispensatore atque auctore incitati prophetae atque instructi cecinissent de rebus hanc ipsam ob caussam necessario eventuris, nimirum hujus generis illud est Barnabae, quod antea commemoravimus (not. 5.): ἔδει γὰρ ἵνα ἐπὶ ξύλου πάθῃ· λέγει γὰρ ὁ προφ.; et Chrysostomi docta oratio: ὥσπερ γὰρ οὐκ ἔστι τὰ γεγενημένα μὴ γεγενῆσθαι, οὕτως οὐδὲ τοῦτο καίτοι μέλλον ὂν μὴ γενέσθαι [8]) κτλ. (Opp. III p. 21. cf. IV, p. 91), atque Irenaei contra Marcionis antitheses argumentatio haecce: „Unde autem poterant praedicere prophetae regis adventum et — omnia quae a Christo facta sunt — si ab altero Deo propheticam inspira-

enim, ait, mens prophetae velut fines quosdam humanae prudentiae, quando repletus Deo. Et ante evacuat se cogitationibus et disceptationibus saeculi hujus, ut advenienti gratiae spiritali purum se et exinanitam praebeat, superveniat in eam Spiritus Sanctus magna se ei infundens ita ut mens hominis subito turbetur.« Hujusmodi vero sententias, ut Montano (v. Epiphan. lib. II. haer. XLVIII, 4. Opp. ed. Petav. T. I p. 402 sqq. Euseb. H. E. V. 10.) parum dissimiles, quo diligentius evitare solebant Patres posteriores, eo certius explicare hi quidem debebant, quae tandem fuerit sancta et casta vera prophetiae natura. Sed quid effecerint videbimus.

8) Ad hanc quidem sententiam corrigas quae apud eundem (c. Anom. VII. Vol. I p. 622 sq.) perperam scripta sunt: καθάπερ τὰ συμβάντα ἀμήχανον μὴ γενέσθαι [leg. γεγενῆσθαι], οὕτω καὶ τοῦτο [τὴν προφητείαν intellige] ἀμήχανον μὴ γεγενῆσθαι [leg. γενέσθαι]. Miror sane, quod superioris illius loci auctoritas editorum aciem fugerit.

tionem acceperunt" (adv. haer. lib. IV c. 34), quaecunque denique in eandem fere sententiam sive contra haereticos polemice (Tertullianus adv. Marc. lib. III lib. IV, 1. Augustinus contra Faustum libb. XII et XIII. al.), sive adversus Judaeos ac paganos apologetice sunt a Patribus dicta (sicut a Tertulliano, adv. Jud. c. VI sqq. Augustino, civ. Dei. libb. XVII et XVIII. Irenaeo, lib. IV c. 26. Chrysostomo in Jo. I, 9. hom. VIII. Tom. VIII p. 56. et alii aliter. De Eusebio videas Hahnelli commentationem „de Eusebio Caes. religionis christianae defensore" scriptam. Gotting. 1843 p. 59 sqq.). Altera vero Patrum ratiocinatio in hac potius sententia continetur, quod de semet ipso Christus per prophetas locutus sit, quae quidem in universae prophetiae natura describenda quantum valeat deinceps videbimus, quum lautiora nonnulla ejus rei testimonia adhibuerimus. Sunt vero jam inter apostolicos, qui vocantur, Patres illius sententiae auctores. Barnabas enim (Ep. c. V) prophetas, ait, „ab ipso habentes donum, in illum prophetasse", et Ignatius „inspiratos" illos appellat, ab ipsius gratia, (ad Magnes. c. VIII *οἱ — προφ. κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν ἔζησαν — ἐμπνεόμενοι ὑπὸ τῆς χάριτος αὐτοῦ*, cf. ib. c. IX *Ἰησ. Χρ. — οὗ καὶ οἱ προφ. μαθηταὶ ὄντες τῷ πνεύματι ὡς διδάσκαλον αὐτὸν προσεδόκουν*). Longe vero clarius Patres posteriores. Sic Tertullianus (adv. Prax. c. XVI): „Ipse enim (Deus filius), ait, et ad humana semper colloquia descendit, ab Adam usque ad patriarchas et prophetas, in visione, in somnio, in speculo, in aenigmate ordinem suum praestruens ab initio semper, quem erat persecuturus in finem. ita semper ediscebat et Deus in terris cum hominibus conversari, non alius potuit quam sermo qui caro erat futurus." Quid quod e regula fidei quoque consequens esse dicit (de praescr. haer. c. XIII), ut unus Deus sit, „qui universa de nihilo produxerit per verbum suum primo omnium emissum" atque id quidem verbum filium ejus, inquit, appellatum, in nomine Dei varie visum patriarchis, in prophetis semper auditum, postremo — carnem factum." In eandem prorsus sententiam Augustinus

„hic, inquit, prius per prophetas, deinde per se ipsum, postea per apostolos — locutus est (Civ. Dei. lib. XI c. 13. cf. Enarr. in Ps. 138. Opp. IV p. 1146). Neque vero aliter, et accuratius potius Graeci Patres disputarunt. Clemens enim Alex. (Cohort. ad gentes. Opp. p. 8) eundem defendit, qui nube cinctus duxerit Israelitas, quique e rubo locutus sit, per prophetas quoque sua verba edidisse; *αὐτὸς ἐν Ἡσαΐᾳ ὁ Κύριος λαλῶν, αὐτὸς ἐν Ἠλίᾳ, ἐν στόματι προφήτων αὐτὸς* (vide etiam pag. proximam et Strom. lib. I. c. 17 p. 366). Ita Origenes quoque (de princip. praef. Opp. I p. 47. cf. c. Cels. VII c. 4) Christi spiritu repletos prophetas fuisse dicit, „et prius namque Christum, Dei verbum, in Moyse atque prophetis fuisse. Nam sine verbo Dei, ait, quomodo poterant prophetare de Christo?“ Quid, nonne ex hisce talibus sententiis perspicuum demum est, quid sit hoc quod in Jesu Christo omnem totius prophetiae summam et gloriam et finem esse dicunt? Multifariam id quidem Patres atque eleganter. Egregie enim mihi quidem placet docta Irenaei ars, quae thesaurum in agro absconditum (Matth. XIII, 44 sq.) ipsum Christum esse interpretatur, in Vetere Testamento latentem quidem illum, at in lucem tandem prolatum et qui praesens jam omnibus adsit (l. c. IV, c. 34). Scilicet ita in Vetere quoque Testamento Christus fuit ac viguit, ut in hanc quidem sententiam respondeat Clemens paganis, sciscitantibus ubi tandem fuerit et quo modo iste *λόγος*, qui quum jam antea fuisset in Christo Jesu demum apparuisse dicatur (in Jo. hom. 8. Tom. VIII p. 56), atque ut summa omnino prophetas praestantia privare videatur Origeni, si quis eos de Christo dixisse negaverit (*ἀποστερεῖν τοίνυν βούλεται τὸν χορὸν τῶν προφ. χάριν τὴν μεγίστην ὁ βουλόμενος αὐτοῖς μὴ δεῖν μαρτυρεῖν περὶ Χριστοῦ.* In Jo. I, 7. Opp. I p. 86). sicut etiam capite quasi prophetiae carere Judaeos judicat, quippe qui Christum Jesum contemnant (*τὴν δὲ κεφαλὴν τὴν προφητείας Ἰουδαῖοι οὐκ ἔχουσι, τὸ κεφάλαιον πάσης προφητείας, Χριστὸν Ἰησ. ἀρνούμενοι.* Matth. Opp. III p. 472). Similiter Ambrosius (in ep. ad Rom.

I. Opp. T. III p. 238), Cyrillus Alex. (in Jes. L. I. or. 2. Opp. ed. Paris. 1638 T. II p. 55. Cf. p. 740. p. 544), alii.

Sed hujusmodi quidem sententiae omnes in prophetiae argumento magis et fine versantur, quam in ipsius rei propheticae conditione interna legibusque, si quae sint, ethicis. de his igitur quid Patres statuerint jam altero narrationis loco videamus. Et primum quidem quaerunt Patres, utrum futurae tantum res in prophetandi notionem cadant, an praesentes quoque, sed occultae, et quae ante actae fuerint. Duplici ratione eam quaestionem a Patribus solutam esse video. Nam quum etymologicam vocabuli vim potius reputant quam rei naturam atque exempla, in priorem illam abeunt opinionem, sicut Chrysostomus (VI p. 127) judicat: *οὐδὲ γὰρ ἀλλό τί ποτέ ἐστι προφητεία, ἀλλ' ἢ τῶν μελλόντων πραγμάτων προαναφώνησις.* Verum latiorem quoque esse dicunt prophetiae provinciam versarique illam, etsi „perdita, ut ajunt, etymologia," quippe quae futurum solummodo tempus indicet, in praesentibus rebus et ante actis (cf. Gregorium M. in Ezech. lib. I hom. 1. Opp. ed. Benedict. Venet. 1768 sqq. Vol. IV p. 126). Gregorius enim, auctore Augustino (de civ. Dei. lib. XI c. 4), hanc quoque prophetiam esse defendit, quum de illo tempore dicat homo quo non fuerit homo, recteque dici prophetiam, non solum quae praedicat ventura, sed etiam quae prodat occulta. et in eandem plane sententiam apud Chrysostomum (Synops. s. Scr. Prooem. VI p. 372) hoc est: *οὐ μόνον δὲ τὰ μέλλοντα προφητείας ἐστὶν εἰπεῖν, ἀλλὰ καὶ τὰ παρελθόντα — ἔστι δὲ καὶ τὰ παρόντα προφητείας εἰπεῖν ὅταν τι γένηται μὲν κρύπτηται δέ.* ejusdem omnino haec omnia gratiae esse.

Sed inveniuntur quoque apud Patres judicia, quae vel maximi momenti esse nobis videantur, ethicam hominum prophetarum, divina videlicet inspiratione instructorum, conditionem inquirentibus. Etsi hoc quidem non satis magni facimus, quod haud raro Patres, quasi rem agant per se necessariam et perspicuam et facilem (cf. 2 Petr. I, 21), „viros justos et selectos" prophetas fuisse veloci stilo anno-

tant (sicut TERTULLIANUS, Apologet. c. XVIII. LACTANTIUS, div. inst. l. IV c. 11. al.). at vero gravissima ea sunt, quae quum hoc ipsum agunt, ut prophetiae naturam ejusque a vaticinatione ac divinatione incredibilem distantiam demonstrent, proferunt. Ejusmodi enim hae fere quaestiones sunt: num prophetae quoque in ecstasi locuti sint, sicut divinatores? num pravus quoque homo vi prophetica donari possit et quo modo? quae denique esse debeat hominis, ut divinitus inspiretur, conditio? et quae sunt hujus generis plura. Jam vides, quam haec omnia ad accuratiorem rei cognitionem pertineant. Sed Patrum de illis quaestionibus sententiae hae sunt. Prophetice quidem quidquid dicitur, id solo Deo auctore, si Patres audiveris, homo prodere potest. Quicumque enim ex sua ipsius auctoritate loquitur, omnino falsus propheta est (cf. GREGOR. M. in Ez. lib. I. hom. 1. Tom. IV p. 132). acutus fortasse est rerum indagator, qui ex certis quibusdam indiciis probabilia colligat (ἀλλ' οἱ μὲν — Graecos intellige divinatores, — κλέπται πάντες καὶ λῃῖσταὶ — τὰ πλεῖστα ἐκ παρατηρήσεως καὶ ἐξ εἰκότων προειρηκότες, καθάπερ οἱ φυσιογνωμονοῦντες ἰατροί τε καὶ μάντεις, οἱ δὲ κτλ. CLEMENS Alex. Strom. l. I. p. 400), certe propheta nullus est. Attamen ut prophetarum quidem divina inspiratio est, sic divinationis quoque ac vaticinationis vim quandam esse non negant Patres, quae nec divina sit nec humana, verum daemoniaca. HIERONYMUS enim (Comment. in Ezech. XIII. Opp. V p. 130) „Pseudoprophetae, ait, inspirabantur diabolico spiritu, ut Dei mandata subverterent.“ et CLEMENS (in libro modo dicto) vaticinatores a daemonibus saepe incitatos fuisse (οἱ δὲ καὶ ὑπὸ δαιμόνων κινηθέντες) judicat. ejusdem sententiae plura deinceps testimonia habebis. Sed certissima utriusque rei sunt indicia. Illa enim limpida quasi est et elegans et vera et sancta, haec turbida et fallax et prava. et mirum sane est, quam diserte saepe Patres defendant, vaticinationis quidem esse ecstasin, prophetiae non item. Ejus vero rei luculenta nonnulla testimonia e Patribus adhibuisse ideo operae pretium videtur, quoniam nostra quidem aetate in con-

trariam prorsus sententiam de prophetarum „ecstasi“ disputatum est, quamvis hic quidem error jam a Patribus explosus esse deberet, quippe qui, etsi prophetiae quidem virtutis viva exempla non ipsi ante suos oculos habebant, furorem certe sive ἔκστασιν hominum prophetas importune imitantium ipsi saepe viderent qualisque esset satis intelligerent.

Quod igitur dico egregio consensu nobilissimi Patres clamant. Lactantius enim (div. inst. l. I c. 4), in unam, ait, sententiam congruens divinatio docet non fuisse furiosos [nempe prophetas]. Quis enim mentis emotae non modo futura praecinere, sed etiam cohaerentia loqui possit? Et apud Hieronymum quidem permulta saepe atque gravissima sunt et in Montanistarum, scilicet prophetarum qui esse certe illi quidem volebant, furorem et pro veris prophetis dicta: sicut in praef. in Jes. (IV, p. 4): „neque vero, ait, ut Montanus cum insanis feminis somniat, in ecstasi sunt locuti (Veteris scilicet Testamenti prophetae), ut nescirent, quid loquerentur, et quum alios erudirent ipsi ignorarent, quid dicerent — quomodo sapientes prophetae instar brutorum animantium quid dicerent ignorabant?“ et in praef. ad Nah. (VI. p. 535 cf. p. 592 et VII. p. 589) „non enim, inquit, loquitur in ἐκστάσει, ut Montanus et Prisca Maximillaque delirant, sed quod prophetat liber est visionis intelligentis universa quae loquitur.“ Immo vero Pseudoprophetarum, qui diabolico spiritu, ut Dei mandata subverterent, inspirati fuerint, similes esse judicat Priscam Maximillamque, „quae vaticinatione mendacii fidem subverterent veritatis“ (Comment. in Ezech. V p. 130. cf. hom. VI in Jeremj. Opp. V p. 933) „neque enim, ut quidam suspicantur, mente excidebant prophetae“ caet. Audias quoque Clementem Alex. qui in Strom. lib. I c. 17 (p. 369) haec habet: *οἱ ψευδοπροφῆται ἐν ἐκστάσει προεφήτευον ὡς ἂν ἀποστάτου διάκονοι.* (Cf. Epiphanium, lib. II haer. 48. Eusebium, H. E. V, 17). Ex omnibus vero Patribus ejus rei, quam quaerimus, longe gravissimus est patronus Joannes Chrysostomus. cujus duo esse video lautissima testimonia, alterum vulgo laudatum et contra recentiores furoris prophe-

tici defensores haud raro advocatum, sicut a G. Baurio, viro docto et optime in rei propheticae cognitione versato (Der Prophet Amos. Giessen. 1847 p. 8), alterum, ut video, parum hucusque viris doctis cognitum. Illa vero aurea, ut Chrysostomi, sententia haec est (in 1 Cor. hom. 29. Opp. X p. 303): *ἐν τοῖς εἰδώλοις εἴποτε κατεσχέθη τις ὑπὸ πνεύματος ἀκαθάρτου καὶ ἐμαντεύετο ὥςπερ ἀπαγόμενος οὕτως εἵλκετο ὑπὸ τοῦ πνεύματος δεδεμένος οὐδὲν εἰδὼς ὧν λέγει. Τοῦτο γὰρ μάντεως ἴδιον τὸ ἐξεστηκέναι, τὸ ἀνάγκην ὑπομένειν, τὸ ὠθεῖσθαι, τὸ ἕλκεσθαι, τὸ σύρεσθαι, ὥςπερ μαινόμενον. Ὁ δὲ προφήτης οὐχ οὕτως, ἀλλὰ μετὰ διανοίας νηφούσης καὶ σωφρονούσης καταστάσεως καὶ εἰδὼς, ἃ φθέγγεται, φησὶν ἅπαντα. ὥστε καὶ πρὸ τῆς ἐκβάσεως κἀντεῦθεν γνώριζε τὸν μάντιν καὶ τὸν προφήτην.* Alteram sancti viri orationem ex ejus Expositione in Psalmum XLIV (V p. 192) sumsi. est vero haec: *ἐντεῦθεν* (quod dicit videlicet propheta, ex suo corde se bonum verbum edere, *ἐρεύγειν*) *καὶ ἕτερόν τι* (praeter id, quod supra p. 13 descripsimus) *μανθάνομεν, ὅτι οἱ προφῆται οὐχ ὡς οἱ μάντεις ἦσαν. Ἐπεὶ μὲν γὰρ ὁ δαίμων, ὅταν εἰς τὴν ψυχὴν ἐμπέσῃ, πηροῖ τὴν διάνοιαν καὶ σκοτοῖ τὸν λογισμὸν καὶ οὕτως ἅπαντα φθέγγονται οὐδὲν τῶν λεγομένων ἐπισταμένης τῆς διανοίας αὐτῶν, ἀλλ' οἷον αὐλοῦ τινος ἀψύχου φθεγγομένου. — Ἀλλ' οὐ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον οὕτω ποιεῖ, ἀλλὰ παρδίαν ἀφίησιν εἰδέναι τὰ λεγόμενα.* In his omnibus talibusque Patrum[9]) sententiis quae vis sit quantaque veritas facile intelligitur. etsi pluris quoque aestimo cur ea dicant, quam qualia sint, et quam vera, quae statuunt. In hac enim re mihi quidem summa omnium illarum sententiarum auctoritas contineri videtur, quod certis quibusdam rationibus ethicis ac legibus et propheticam virtutem et vaticinandi artificium definiant ac dirimant. Sed ipsius prophetiae, divinitus excitatae, suae quoque leges sunt a Patribus

9) De Eusebio quidem ejusdem omnino sententiae adjutore quum affatim disputaverit Haenellus l. l. p. 57 sq. silui.

accuratius illustratae. Quaerunt enim, semperne prophetae vim divinam senserint. quod quum negent, hanc caussam esse ajunt, cur errasse interdum prophetae, qui recte appellentur, videantur. deinde gravissima exoritur quaestio, quae esse debeat hominis conditio, ut prophetica gratia donetur, utrum pravus quoque homo prophetare possit, necne. Hujus rei quoniam luculenta exempla in sacris libris, praesertim in Vetere Testamento, invenisse sibi videntur, ajunt quidem posse illud fieri, sed vehementer laborant ut rem spinosam explicent.

Ad primam vero illam quaestionem hoc modo disputant. „Intrinsecus quidem et interiori homini eloquium Dei respondere semper, non extrinsecus ad prophetas fieri", censet Hieronymus (Comment. in Hab. II. Opp. VI, p. 608); at continuam esse inspirationem negat, non semper enim, inquit, sermo Dei in illis audiebatur nec juge in eorum pectore habebat hospitium, sed ob humanam fragilitatem et vitae hujus necessitatem interdum recedebat ab eis (Com. in Ezech. 35 Opp. V p. 415). In eandem prorsus sententiam et accuratius quidem Gregorius M. (in Ezech. lib. I. hom. 1. Opp. IV p. 131) „aliquando vero, ait, prophetiae spiritus prophetis deest, nec semper eorum mentibus praesto est, quatenus quum hunc non habent, se hunc cognoscant ex dono habere, quum habent" [10]. Atque hanc quidem caussam esse docet, quod in errorem interdum prophetae incidere possint. nam sciendum quoque est, inquit, quod aliquando prophetae sancti, dum consulunt, ex magno usu prophetandi quaedam ex suo

10) Eandem quidem vim illud habet, quod est in Dialogorum lib. II c. 21 (Opp. VI, p. 142) »Prophetiae spiritus prophetarum mentes non semper irradiat (sicut Nathani). Quod omnipotens Deus ex magna pietatis dispensatione disponit, quia dum prophetiae spiritum aliquando dat, et aliquando subtrahit, prophetantium mentes et elevat in celsitudine et custodit in humilitate, ut et accipientes spiritum inveniant, quid de Deo sint, et rursum prophetiae spiritum non habentes cognoscant, quid sint de semet ipsis.« At magna mea de authentia dialogorum dubitatio est, quam minime removit Lavus (Gregor. d. Gr. 1845. Lips. p. 316 sqq.).

spiritu proferunt et se haec ex prophetiae spiritu dicere suspicantur. sed quia sancti sunt per sanctum Spiritum citius correcti ab eo, quae vera sunt, audiunt et semet ipsos, quia falsa dixerint, reprehendunt" (testem adhibet Nathanum, 2 Sam. VII, 3 et 4 sqq. l. l. p. 132). De ethica vero hominis prophetae conditione quid Patribus minus diligenter in hanc rem inquirentibus visum sit, antea quidem commemoravimus. attamen quoniam et in Vetere et in Novo Testamento pravi quoque homines prophetica vi instincti esse dicuntur — Bileami, Sauli, Cajaphae celeberrima exempla sunt — haec quoque res subdifficilis non potuit non movere illorum dubitationem. Et haec quidem de ethica prophetarum conditione quaestio multo gravior Patribus visa est, quam quid de intelligentia prophetarum cum prophetico instinctu comparata statuendum sit. Hanc enim rem solus, ut video, ORIGENES semel attigit et breviter diremit. de Judaicis enim prophetis alios inquit ante quoque quam a divino Spiritu correpti fuissent, sapientes fuisse, alios ipso demum prophetico dono factos esse sapientes (c. Cels. l. VII c. 7. Opp. I p. 698. *τῶν δ' ἐν Ἰουδαίοις προφητῶν οἱ μὲν ἀπὸ προφητείας καὶ τῆς θείας παρακωχῆς ὡς ἂν σοφοὶ* [ita scilicet pro codicum auctoritate scribitur. verum rectius sine dubio editores: *οἱ μὲν πρὸ προφητείας καὶ τ. θ. παρ. ἦσαν σοφοὶ*], *οἱ δ' ἀπ' αὐτῆς τῆς προφητείας φωτισθέντες τὸ νῦν τοιοῦτοι γεγόνασιν, αἱρεθέντες ὑπὸ τῆς προνοίας εἰς τὸ πιστευθῆναι τὸ θεῖον πνεῦμα*). Num igitur aliqua qualisque rerum cognitio atque intelligentia necessaria sit homini, ut prophetiae donum accipere possit, dubiam magis hanc quidem quaestionem reliquit ORIGENES, quam docte illustravit. quantum enim haec res ad internam prophetiae naturam recte percipiendam faciat, nec ille nec quivis Patrum sensit. Sed de summa illa, quam dixi, quaestione ethica, quae proprie appellari potest, et saepius et accuratius Patres disputant. etsi quam sit res difficilis magis comprobant, quam quod probari possit proferunt. Sanctum enim Dei Christique Spiritum, videlicet omnis prophetiae auctorem, nisi in

sanctis hominum animis considere non posse, adeo necessarium id quidem videtur, ut si quid ejusmodi secus fiat, qua ratione intelligendum sit magna quaestio esse debeat. Quid? propheticae quidem voces, quippe bonae ac purae, quum ex eo tantum corde promanare possint, quod a peccatis fuerit liberatum — nam ut ex alvo parum purgata sordidae tantum res evomuntur, ita prophetae, a divino Spiritu sanctificati, e cordibus suis purgatis pura quoque verba produnt, ut ait Chrysostomus in Expositione Psalmi XLIV (Opp. V p. 191 sq. — *θείας ἐπινοίας τῆς κινούσης αὐτὸν ἐρυγὴν τὴν προφητείαν ἐκάλεσεν· — οὕτω καὶ ἡ καρδία τοῦ προφ. ἐπειδὴ ἁμαρτημάτων ἦν ἀπηλλαγμένη Πνεύματος ἐδέξατο χάριν καὶ λόγος ἐρεύγεται ἀγαθόν.*) — qui tandem fit ut vitiosus quoque homo atque immundus prodat quod sui simile haud videatur? Defendunt vero Patres id ita accidisse et admirantur interdum, et reputant rem dubiam neque vero eam satis explicant. Exempli gratia Augustinus de celeberrimo illo Cajaphae (Jo. XI, 49 sq. Opp. III. 2. p. 456): „hic docemur, ait, per homines malos prophetiae spiritum futura praedicere.“ et eodem modo de Saulo judicat (IV p. 52 et VI p. 81), fuisse isti homini propheticum spiritum concessum licet „reprobato et invido et ingrato et reddenti mala pro bonis et ne post ipsam quidem acceptionem Spiritus correcto in melius.“ Transitoriam vero ejusmodi quidem prophetiam appellat, et tantum illam ait distare a vera prophetia, quantum voces ab asina Bileamitica fortuito editae distent ab oratione humana (VI p. 76). Consentit Origenes, qui haec habet (in Jo. l. c. IV p. 385): *ἔστιν εἰπεῖν ὅτι καὶ μαχθηρὰ ψυχὴ ἐπιδέχεταί ποτε τὸ προφητεύειν.* et admirari satis Chrysostomus non potest, quanta appareat vis sacerdotalis officii atque divini Spiritus, quod, licet pravissima sit sacerdotis mens, tamen et officii sanctam auctoritatem experiatur et divinum instinctum (in Jo. l. c. *ἀναισχύντως καὶ γυμνῇ τῇ κεφαλῇ καὶ μετὰ ἰταμότητος ἀνεβόησε — ὁρᾷς πόση τῆς ἀρχιερατικῆς ἐξουσίας ἡ δύναμις· ἐπειδὴ γὰρ ὅλως ἠξίωτο τῆς ἀρχιερωσύνης καίτοι ἀνάξιος ὢν τοῦ πράγματος προε-*

φήτευσεν. — ὅρα πόση τοῦ πνεύματος ἡ δύναμις· ἀπὸ διανοίας πονηρᾶς ἰσχυσε ῥήματα προσνεγκεῖν προφητείας γέμοντα θαυμαστῆς). At tu nihilne habes ad rem tam dissonam? Habet sane aliquam conjecturam Augustinus (VI p. 81). hanc enim caussam fuisse suspicatur, cur Saulus quidem prophetasset, quod „in locum venisset, ubi erat congregatio prophetarum" (1 Sam. XIX, 20. 24). ea vero opinio quam sit dubia ipse prodit, quum „propter arcanum quidem alicujus sacramenti" accidisse illud deinceps confiteatur. Scitius vero Graeci duo, quos diximus. etsi hi quidem quo accuratius rem explicant, eo minus sibi constare videntur. Chrysostomus enim, quum disertis verbis non quae in prophetae, sed quae in divinatoris (μάντεως) notionem supra dictam cadant, de Cajapha judicet, ego sane non video, quomodo sententiam illam sacerdotis, manticam scilicet, prophetice tamen dictam atque ex divini Spiritus instinctu profectam esse velit. Nam quod luculentissimum mantici furoris vestigium esse dixit, nimirum non intelligere ipsos divinatores si quid loquerentur, per istos tantum quasi per musicum instrumentum superioris cujusdam numinis, nec vero sancti, effluere verba [11]), hanc fuisse vult Cajaphae conditionem, attamen a Sancto Dei Spiritu incitatum illum quidem fuisse defendit. Ita enim disserit: προεφήτευσεν οὐκ εἰδὼς ἅπερ ἔλεγε, καὶ τῷ στόματι μόνον ἐπέχρησε ἡ χάρις, τῆς δὲ μακρᾶς καρδίας οὐκ ἤψατο. Et multos saepe alios ex-

11) Mirum vero est, quam cum Chrysostomi prudentia consonet Beda, qui in hunc modum disputat (in 2 Petr. I, 21): »Ridicule quidem haec beati Petri verba interpretatus est, dicens: quod sicut fistula flatum oris humani, ut resonet, accipit, nec sonum tamen ipsa, quem ministrat, quia insensibilis naturae est, intelligere valet, ita prophetae Dei Spiritu inspirati, ea quae idem Spiritus vellet, ore proferrent, nec tamen ea, quae dicerent, ipsi mente tenerent, juxta illud Maronis: Dat sine mente sonum. Quod impudentissimi erroris esse palam claret. Quomodo enim audientibus tam sana vivendi consilia darent, si insanis similes ipsi, quae loquerentur, nescirent?« Audis Patres ad unum omnes contra Montanistarum errorem de prophetiae natura clamantes. Cf. not. 7.

stitisse censet rerum futurarum vates indignissimos, sicut Nebucadnezarem, Pharaonem, Bileamum. In Cajapha vero haud omittit id quod evangelista quoque indicavit obscurius, quod sacerdotali munere functus esset. nam sacerdotio quamvis corrupto praesto tamen fuisse ait Spiritum, dum Christum Judaei interemissent (*ἀλλὰ καὶ οὕτω παρῆν ἔτι τὸ πνεῦμα. ἐπειδὴ δὲ τὰς χεῖρας ἦραν κατὰ τοῦ Χριστοῦ τὸ τηνικαῦτα αὐτοὺς ἐγκατέλιπε καὶ μετῆλθεν ἐπὶ τοὺς ἀποστόλους*). Longe vero omnium diligentissime rem ponderavit Origenes (in Jo. XI, 49 sq. Opp. IV p. 385—394). Prophetasse enim ait quidem ille et Bileamum et Cajapham et alios ejusdem generis omnes, prophetas fuisse eosdem negat. nimirum divinatores ac vates fuerunt (*οὐχὶ εἴ τις προφητεύει προφήτης ἐστὶν ἐκεῖνος* — et Bileamus quidem nullus erat *προφήτης, μάντις γὰρ εἶναι ἀναγέγραπται*). Itaque Origenes in universam prophetandi (*τοῦ προφητεύειν*) notionem duo vult cadere: et prophetae, qui recte vocetur, virtutem divinam, et vatum oracula sive humana prorsus, sive daemoniaca, sive haec quoque divina, sive denique media quadam auctoritate profecta (*εἰ δὲ καὶ εἴεν τινες μεταξὺ καὶ περὶ τούτων*, malorum scilicet et bonorum). Hoc enim quum dubium esse debeat, certe constat et pravos homines prophetasse et non omnem prophetiam e sancto Spiritu semper manare. Sic Cajapham haud dubitat asserere a sancto Spiritu incitatum non fuisse (*τολμηρῶς μὲν οὖν παραθήσεται τὰ λεχθησόμενα πρὸς τὸ μὴ ἀπὸ ἁγίου πνεύματος προπεφηνευκέναι τὸν Καϊάφαν*). At ne ex semet ipso quidem (*οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ*) locutus esse narratur. Non negat Origenes, ita disputat: *ἀφ' οὗ μανθάνειν οἶμαι ἡμᾶς, ὅτι τινὰ μὲν οἱ ἄνθρωποι ἀφ' ἑαυτῶν λέγομεν, μηδεμίας ἡμᾶς ἐνεργούσης εἰς τὸ λέγειν δυνάμεως, ἕτερα δὲ ὥσπερεὶ ὑπηχούσης καὶ ὑποβαλλούσης δυνάμεώς τινος ἡμῖν τὰ λεγόμενα, κἂν μὴ τέλεον ἐξιστάμεθα καὶ ἀπαρακολουθήτως ἔχομεν ἑαυτοῖς, ἀλλὰ δοκῶμεν παρακολουθεῖν οἷς λέγομεν, ἐνδέχεται παρακολουθοῦντας ἡμᾶς ἑαυτοῖς ἢ λέγομεν, μὴ παρακο-*

λουθεῖν τῷ βουλήματι τῶν λεγομένων — manticam hanc esse ignaviam facile intelligis. — Ad hanc quidem regulam de Cajapha judicat: καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ οὐκ εἶπε, καὶ οὐκ εἶπε τὸν νοῦν ὡς προφητείαν καὶ τὴν προφητείαν τοῦ λεγομένου οὐκ ἐδέχετο. Vult igitur Cajapham et quod verum sit dixisse, neque tamen ipsum intellexisse propheticum suorum verborum sensum. et porro neque a semet ipso, neque vero a Spiritu sancto instinctum locutum esse illum, disertis verbis docet. Tantum vero abest, ut sive de ethica prophetantis Cajaphae conditione sive de superiore, quam secutus sit, auctoritate quod quidem probari possit quidquam proferat, ut hanc quidem rem nullo verbo attingat, priorem vero illam dubitationem moveat magis quam removeat. Prophetandi enim caussam non eam adhibet, quae certa quadam ratione definiri possit qualisque sit ponderari, sed fortuitam prorsus ac dubiam. nimiram *casum* quoque (περίστασιν) haud raro caussam fuisse ait prophetandi (τοῦ προφητεύειν). sic in Cajapha, quod ejus anni sacerdos fuisset, eodemque modo in Bileamo, qui quum novas semper castrorum Israeliticorum partes conspexisset, ejus rei novitatem admiratus ad prophetandum, et vaticinandum potius, motus fuisset (ἀπὸ τῆς καινότητος τῶν βλεπομένων ἐκινεῖτο πρὸς τὸ λέγειν περὶ τοῦ Ἰσραήλ). —

B. DE DOGMATICIS THEOLOGIS ET SUPRANATURALISTIS.

Sed haec quidem Patrum de re prophetica judicia accuratius atque copiosius exponere ideo operae pretium visum quia etsi inde posterierum Theologorum — orthodoxos dico et supranaturalistas — sententiae magna ex parte fluxerunt, parum cognita tamen ea inter viros doctos esse intellexi. Jam ad recentiorum, quae de rei propheticae natura latae sunt, sententiarum historiam persequendam pergamus. Qua in re auctorem quidem, cujus vestigia sequar, nullum video. Nam, quod supra (p. 11) dixi de Ernestio (vid. ejus l. c. p. 518 sqq.) atque Hengstenbergio (cf. l. c. p. 354 sqq.),

jam de J. F. Reussio quoque eodem modo judicandum est (vid. ejus dissert. de oraculo Zach. VI, 12. 13. in Opusc. var. gen. theol. Tubing. 1768. Fasc. I p. 118 sqq.). Knobelius vero (der Prophetismus der Hebräer vollständig dargestellt. Berl. 1837), quam ipse id quod quaerimus minime egerit, ejus quoque rei, quam falso omisit, historiam criticam omittere necessario debebat. Recentiores vero scriptores, sicut F. Delitzschius (die biblisch-prophetische Theologie, ihre Fortbildung durch Chr. A. Crusius und ihre neueste Entwickelung seit der Christologie Hengstenbergs. Lips. 1845) et Hofmannus (Weissagung und Erfüllung. Noerdling. 1841), si quid, quod ad rem nostram pertineat, habent, a recentioribus demum temporibus historiam instituunt.

Recentiorum vero Theologorum, quicunque rem propheticam sibi illustrandam sumserunt, duo potissimum genera sunt, et valde quidem illa diversa, orthodoxorum vel supranaturalistarum unum, alterum rationalistarum eorumque qui historici et critici nuncupantur. Quamvis vero magna sit illorum distantia, si reputas quid quisque eorum effecerit, una tamen eademque fere omnium ars est idemque, ut puto, error. Nam omnis utriusque partis disputatio, sicut in Patribus vidimus, in usu magis vaticiniorum, imprimis messianorum, recte administrando versatur, quam in ipsius rei propheticae interiore virtute ac ratione exquirenda. cujus quidem rei hoc ipsum testimonium attulerim, quod si quid ad rem nostram dixerunt theologi, id messianorum tantum vaticiniorum caussa instituerunt. ea enim utrum ad Christum vere spectent an ad aliam quandam personam, et cum Christi historia comparata utrum concinant cum illa necne, disputaverunt, et his tantum disquisitionibus si quando ad interiorem quoque universae prophetiae conditionem investigandam sunt adducti, id quoque, quod nos quidem potissimum agimus, quantum necesse visum est attigerunt. Haec quidem mea sententia est de omnibus iis, qui tum commentariis in libros propheticos atque in Novum Testamentum scriptis, tum singularibus de re Veteris Testamenti prophe-

tica i. e. messiana editis sive defenderunt prophetarum auctoritatem sive imminuerunt. Sed doctius plerumque et diligentius et rectius quoque ii, qui prophetarum patroni exstiterunt. ex quorum quidem agmine satis amplo hos tantum nobilissimos testes adhibuisse sufficiat [12]). In primis audiendi videbantur reformatae et ecclesiae et theologiae auctores, Lutherus, cujus quidem non solum commentarios verum etiam colloquia, quippe lautissima de intimis viri cogitationibus testimonia, diligentius comparavi, Melanchthon, Calvinus. deinde advocavimus A. Calovium, sacrorum librorum interpretem celeberrimum, tum eos, qui singularem operam in explicanda Veteris Testamenti prophetia posuerunt, Ant. Hulsium (Nucleus prophetiae. Lugd. B. 1683), Jo. Meisnerum (Tractatus theologicus de prophetiis. Ed. 3. Wittenb. 1698);

12) Scholasticorum, licet hos quoque equidem examinaverim, declamationes comparare nolui. Ex iis enim posteriores Theologi nil prorsus sumserunt et recte quidem. Exempli gratia audiamus Thomam Aquinatem, quum omnium facile principem tum in nostra quoque disputatione satis accuratum et verbosum certe. Egregiam vero ille quidem exspectationem mihi moverat ea re, quod in *ethicis* locis posuisset suam de prophetia disputationem (Sec. sec. q. 171—174. Opp. ed. M. de Rubeis. Venet. 1756. Tom. XXIII p. 289 sqq.), sed spes mea me fefellit. Etiamsi enim principia quoque ethicae, quae a Thoma exculta est, disciplinae improbarem — an tu, ut unum certe moneam, recte ab illo poni tria genera virtutum censebis, theologicarum videlicet et intellectualium et moralium? — tamen, quum prophetiam inter virtutes eas numeraret, quae »specialiter ad aliquos homines pertinerent«, hoc certe fore sperabam, ut ethicis quibusdam rationibus prophetiam definiret ac ponderaret. Minime vero. Habet quidem quaestiones gravissimas de essentia deque caussa prophetiae, de modo cognitionis propheticae, de divisione (graduum) prophetiae, »utrum ad prophetiam requiratur naturalis dispositio, utrum prophetica revelatio semper sit cum alienatione a sensibus, utrum prophetia semper sit cum cognitione eorum, quae prophetantur« et quae sunt ejus generis plura, sed mirum est quantopere neglecto capite reduviam curet Doctor Angelicus. Comparatis enim Augustinorum Gregoriorumque sententiis, interdum quoque testimoniis sacrae scripturae adhibitis, secundum hos quidem auctores in utramque partem disputat eorumque discrepantes saepe orationes vili sane arte concordantes efficit.

Abr. Gulichium (Theologia prophetica de rebus Vet. Testamenti. Amstelod. 1675. In hujus enim operis praefatione hermeneutica, quum de „ratione interpretandi tum S. Scripturam universe, tum speciatim Prophetias“ praecipiat, nonnulla, quae ad rem nostram spectent, exhibet. Mittimus vero et ejusdem theologiae propheticae partem alteram, Amst. 1684. et ab illo editum „librorum propheticorum Vet. et Novi Testamenti compendium. Amst. 1683“). Arcessivimus denique Joach. Oporinum nostrum, et Chr. Aug. Crusium, quorum libri (Oporini: „die zum zweitenmal ausgearbeitete Kette der Messianischen Weissagungen. Götting. 1753.“ Crusii hypomnemata ad Theologiam prophetiam. P. I. II. Lips. 1764. 71. Cf. Delitzschii l. l.) demonstrant quodammodo, quam haec quidem vetus rei propheticae doctrina exculta fecerit.

Et hi quidem, sicuti Patres, divinam esse rei propheticae auctoritatem ad unum omnes censent. Prophetae enim, quos „Spiritus Sancti organa“ appellat Calvinus (ad Ez. XIV, 10), a Deo eligebantur et vocabantur et mittebantur (Calvin. ad Jes. I, 1. XLIII, 10. Jer. I, 10. XIV, 14. Calov. l. c. p. 647) et ab ipso accipiebant quae, divinae voluntatis quasi interpretes (Gulich. l. c. p. 3. 61 sq. Huls. l. c. p. 965) hominibus annunciarent omnia. Neque enim ab hominibus discebant quod praedicarent, neque sollertia sua aut labore praevidebant aut efficiebant quidquam (Meisner. l. c. p. 29. 34. Crusius l. c. p. 7. 9 sq.), sed in alta quasi specula collocati i. e. evecti supra humanos sensus et vulgare hominum judicium spirituque Dei instructi quasi e caelis locuti sunt (Calvin. ad Jes. XXI, 6. cf. XXX, 10. Calov. p. 648). quamobrem si quis prophetam audire noluerit, is ipsum Deum contemsisse censendus est (ad Jes. XXX, 11). Quod accuratius et clarius, quam a Patribus factum est, in hac quidem doctrina dicatur a Theologis nostris, hoc unum video, nimirum quod *immediate* ab ipso Deo, nisi forte *mediate* per angelos, inspirati fuerint prophetae. Veluti Melanchthon (Comment. in Sach. Opp. ed. Witteb. 1601 II. p. 531), „nominabantur autem prophetae, ait, qui immediate a Deo missi

sunt ad illustrandam promissionem de Messia," et (Argum. in Esaj. ib. p. 398) „propheta est persona immediate a Deo vocata ad docendum evangelium." Lutheri vero eandem sententiam suadentis haec verba sunt (Opp. ed. Walch. III p. 1172): Ein Prophet wird genennet, der seinen Verstand von Gott hat ohne Mittel, dem der heil. Geist das Wort in den Mund leget. Cf. Meisneri l. c. p. 34. Crusii l. p. 9. 40. 71. Sed universae prophetiae summum et principium et finem quum sicut Patres in Christo esse velint Nostri, longe tamen accuratius ac doctius hanc quidem disciplinam excoluerunt. Et mirum sane est, quam in hoc quidem loco Reformatorum ingenia excellant. nam hi quidem primi certum quendam, qui omnium prophetiarum progressum contineret, nexum indicaverunt atque communem omnium originem et ethicam quidem illam posuerunt. Primum enim in Christi quidem futuri annunciatione summum rei propheticae cardinem verti egregio consensu omnes clamant. Ita enim missos fuisse prophetas, ut promissionem de Messia illustrarent sive ut evangelium docerent, Melanchthon auctor est, cujus quidem verba antea adhibuimus. et Lutheri quidem in hanc rem testimonia quum innumerabilia legantur (cf. Opp. XXII p. 459. VI p. 267. XIV p. 37 sq. al.), unum tantum hoc, quod egregie atque eleganter dixit, laudemus (XI p. 328): — die Propheten haben von Christo nur gehöret als von dem, der noch hinter ihnen war, und nach ihnen kommen würde; darum haben sie ihn auf den Rücken gehabt und gehöret. Wenn man nun mit Christo und dem Evangelio also in den Tempel kömmt und die Schrift ansiehet, so stellen sich doch die Sprüche der Propheten so herzlich zu ihm, fahen ihn in die Arm und sagen alle mit grossen Freuden: das ist der Mann, der, der ist's, da wir von gesagt haben, nun ist unsere Rede an ihr Ende gekommen." — In eandem plane sententiam Calvinus „in Christo, inquit, omnes prophetiae clauduntur ac perficiuntur" (ad Jes. XLIII, 10), Christi adventum proponunt ubicunque populum suum consolantur, ad illum enim, ut foederis fundamentum, omnis quo-

que summa promissionum referenda est (Praef. in Jes.). Hos quidem auctores secutus Calovius Christum appellavit „σκόπον σκοπιμώτατον ut universae scripturae ita etiam omnium prophetarum“ (l. c. p. 648) et Gulichius omnem Vet. Testamenti oeconomiam triplici modo docet prophetiam esse ad Christum spectantem, verbis scilicet prophetarum disertisque vaticiniis, tum legis institutis caerimoniisque, historia denique sive exemplaribus ipsum typice indicantibus (l. c. p. 71).

In his vero ipsis, quos modo recensuimus Theologorum nostrorum sententiis ejus rei vestigia sunt, qua hi quidem Patrum de re prophetica doctrinam longe superasse videantur. Scilicet illustratam quidem a prophetis fuisse promissionem de Messia ait Melanchthon, non inventam, non excogitatam, non per ipsos primum factam. et Gulichius non prophetas solum, qui proprie dicantur, sed Mosem quoque, religionis Israeliticae auctorem, de Christo testimonia edidisse defendit. Ipsi legi, universo foederi, immo vero primae quoque Dei cum homine lapso communioni vim quandam propheticam, et messianam quidem illam, insitam atque innatam fuisse, me quidem vehementer approbante, censent. eam vero fuisse a prophetis susceptam, excultam, renovatam (Melanchthon, l. c. p. 398 sqq.). Hanc quidem sententiam, a Luthero et Calvino, ut hominibus vere ingeniosis, primum, ut puto, editam, docta sane arte excoluit atque adornavit Oporinus. quodsi nostrae quoque aetatis Theologi in hac quidem re veteres nostros Theologos audire voluissent, melius, opinor, et doctrina, qua nos quidem hodie praestamus, dignius de re prophetica haud raro egissent. Summa enim, quam dico, Lutheri et Calvini auctoritas haec est. Nimirum primum et communiter „legis interpretes“ fuisse prophetas saepe dicit Calvinus, multaque eos ex Mose fuisse mutuatos (ad Jes. XVII, 10. XXXIV, 16. Ezech. XVIII, 5 sq. cf. Huls. l. c. p. 963), atque e lege, tanquam rivos e fonte, prophetarum doctrinam manavisse (Praef. in Jes.), specialiter videlicet quasi digito notantium atque in suum usum accommo-

dantium (ad Jes. XXII, 2), quae in genere Moses proposuisset. Atque etiam LUTHERUS eadem fere ratione Mosem appellavit fontem ac patrem omnium prophetarum (ein rechter Brunn und Vater aller Propheten. III p. 2023), ex eaque quasi apotheca omnem suum penum prophetas promsisse censuit (und alle Propheten haben in dieser Fundgrube fast gearbeitet und ihren Schatz herausgegraben. XI p. 219). Similiter IX, 1348: Auch zwar alle Propheten habens aus dem Mose. At vero quoniam summa omnium prophetarum in Christo contineatur, ejus quoque vestigia in lege indagaverunt, quae quidem prophetae secuti esse videantur. atque ex hac tandem ratione continuus quidam omnium prophetiarum nexus et ordo emergit, in quo illustrando summa profecto laus ORORINI inesse mihi videtur. Ethicam enim et propheticam vim legis Mosaicae in hac re posuit LUTHERUS — id quod a Paulo apostolo recte didicerat — quod ad Christum duceret homines. cujus quidem rei luculentissimum testimonium quum hoc esse videretur LUTHERO, quod l. Deut. XVIII, 15 propheta quidam futurus, quem audire juberentur, annunciaretur populo, hunc quidem locum medullam quasi universae legis esse judicavit, atque hanc ob caussam prophetas quidem ministros fuisse adjutoresque Mosis, et ipsius scilicet prophetae et ad Christum homines deducentis, existimavit („Das ist der edelste Spruch und freylich der Kern im ganzen Mose — und alle Propheten gar viel daraus gezogen. — Die andern Bücher und Propheten sind nichts anderes denn was Moses ist, denn sie treiben allesammt Mosis Amt, dass sie das Volk nicht auf Werke führen — sondern — auf Christum treiben, wie Moses thut. Also dass die Propheten nichts anderes sind, denn Handhaber und Zeugen Mosis und seines Amtes, dass sie durch das Gesetz jedermann zu Christo bringen. XIV p. 15. 16). CALVINI vero prophetas e Mose multas saepe res mutuatos esse dicentis ita demum recte mentem perceperis, si intellexeris ab illo *totius* foederis, quo populus Israëliticus cum Jehova jungeretur, fundamentum et summam et finem in Christo

fuisse positum. hanc enim ob caussam prophetae quidem pro interpretibus Mosis habendi sunt, quippe qui promissionem de Messia traditam illustrent atque administrent (Praef. in Jes.). haec quoque caussa est, cur et „servum Dei“ (Jes. XLIII, 10) et „prophetam“ illum celeberrimum (Deut. l. c.) primum quidem et proprie de universo futurorum prophetarum agmine dictum esse velit (collectivam notionem statuit), et ideo demum de Christo intelligendum esse ait, quoniam in ipso „prophetiae omnes claudantur et perficiantur“ (Jes. l. c.) Praef. in Jes. cf. Ezech. XX, 1). Hanc quidem disciplinam, Gulichio quoque (l. c. p. 27. 43. 45 sq.) probatam, ita excolit Orelinus, ut totius quem scripsit libri fundamentum quasi in ea contineatur. Is enim omnium, quae in Vetere Testamento sunt, vaticiniorum messianorum nexum et ordinem — quem catenae voce nominavit, quum concatenata quasi et nexa inter sese arctissime illi viderentur — sed ut ordinem vaticiniorum illustraret atque alterum quomodo ex altero exstitisset commonstraret, ab eo quidem propheta, qui omnium quasi agmen clauderet, disputationem instituit, Malachia. Et hunc quidem ex Jesajae potissimum vaticiniis (c. XL) hausisse defendit. Sacharjam deinde examinat, quem tum ex Jesaja tum ex aliis prioribus quoque prophetis sumsisse docet, quae ipse satius exculta atque in suum usum adhibita dixerit. Et eadem semper ars est, qua singulorum prophetarum vaticinia, a postremo quoque profectus et ad primos singulorum fontes pergens, illustrat. Primum enim occasione et argumento singularum prophetiarum expositis cum prioribus eas comparat illarumque cum his nexum necessarium demonstrat, postremo hanc ipsam rem adversus duos simul errores explicat, unum Gnoth eorumque, qui hujus quidem disciplina maxime probata literalem vaticiniorum sensum negarent atque imminuerent, alterum Judaeorum, qui veterem ac genuinam Messiae notionem corrumperent. Itaque quum posteriorum quisque prophetarum in prioribus nitatur, veluti Micha in Jesaja (VII. IX) et in l. 2. Sam. VII, 12 sqq. Gen. XXVIII, 14 caet. (p. 103 sq.), Amosus vero in

l. 2 Sam. XII, 12 sqq. Gen. XII, 3 cast. (p. 234), et Jesaja quidem a Davide didicerit, psalmista vero suam spem suaque vaticinia hauserit ex antiquissimis foederibus ac promissionibus, Mosaicis, Abrahamiticis, Noachicis, — quin etiam id quod protevangelium nuncupatur minime omisit Noster — quatuor apparent fontes principales, e quibus omnes vaticiniorum ordines manaverint. his vero locis continentur: primus loco 2 Sam. VII, 12—16 (p. 274 sqq.), secundus l. Deut. XVIII, 15 (p. 290 sqq.), tertius l. Gen. XII, 2. 3 (p. 303 sqq.), quartus l. Gen. III, 15 (p. 361 sqq.). Et haec quidem disciplina ideo egregie sane mihi quidem placet, etsi quod in singulis locis effecit Oeorsius minime semper approbo, quia primus ille, Reformatorum vestigia secutus, certum quendam ordinem, et ethicum quidem illum, certe historicum, posuerit in universo vaticiniorum progressu. ex tota enim viri ingeniosi disciplina haec certe summa lex, accuratius deinceps nobis illustranda, emergit, ut sit praeter divinam, quae neminem prophetam non incitat atque sustinet auctoritatem, libertas quoque et opera prophetarum in discendo, ut si quid antea fuerit a Deo patefactum, id diligenter suscipiant posteriores, ut traditam quasi haereditate accipiant spem eam, quae semel in manus populi data fuerit vividaque experientia comprobata.

Verum his quidem ita explicatis nil fere amplius habent Theologi, quod ad interiorem prophetarum naturam illustrandam pertineat. Comparant quidem eos, quos pro veris prophetis habere dubitant, Bileamum, Saulum, Cajapham, cum veris divinarum revelationum interpretibus, sed quoniam ipsius prophetiae vim ac naturam, et quae in ea vigeant leges ethicae parum considerant, ne illam quidem sive divinationem sive vanam prophetiae effigiem et umbram satis explicant. Et quod docent cum Patrum sententiis convenit. Veluti Calovius (ad 1 Reg. X, 9. l. c. p. 749) Saulo quidem „momentaneum prophetiae donum“ a Deo collatum fuisse ceaset, sicut Augustinus (cf. p. 24), et Cajapham verum prophetam non fuisse, quia non intellexisset quod ipse dixis-

set. „propheticae enim cognitionis, ait, requisitum est judicium ortum ex lumine prophetico, quo elevatur et illustratur intellectus Prophetarum, ut dignoscant et dijudicent quae sunt repraesentata“ (l. c. p. 648). Non ita, ut videbimus, Crusius. Sed Calovius, quominus certam quandam claramque propheticae inspirationis legem positam esse putemus, prohibet ipse, quoniam in stupore quodam atque ecstasi prophetas fuisse continuo defendit, ubi Messiam venturum conspexissent animo. et ita quidem, ut quando in ejusmodi furorem elati ac rapti fuissent, aequabili mentis conditione deperdita concinnum quoque orationis progressum et nexum interciderent. „nam quum aliqua umbra, inquit, sese ostendit Messiae — excitantur prophetae et affectu magno in eum rapiuntur ac in figura illa latentem explicant —. Deinde quasi de stupore et ecstasi se ipsos recipiunt ac ad institutam narrationem sese referunt.“ Qui disertis verbis ethicam quandam conditionem posuerit in homine propheticam inspirationem accepturo, unum fere video Lutherum. Is enim et morum sanctitate et diligentia rerumque divinarum studio et cognitione insignes fuisse censet homines, qui Dei revelationem percepissent. et in conscientia quidem quum audivisse illos divinas orationes dixerit, hac certe sententia, ut ethica aliqua ratione ponderaremus rem propheticam, monuit (Die Propheten sind sehr heilige, geistliche, fleissige Leute gewesen, die göttlichen und heiligen Sachen mit Ernst nachgedacht und sie betrachtet, darum hat Gott in ihren Gewissen mit ihnen geredt, das haben die Propheten für eine gewisse Offenbarung angenommen. XXII. p. 2094. cf. XI. p. 283). Quocum comparari vix potest expedita sane atque ex l. 2 Petr. 1, 21 sumta vox Meisneri (l. c. p. 32) prophetarum sanctitatem laudantis.

Sed unus adhuc in hoc loco audiendus est vir doctissimus et qui cum Oporino compositus alter quodammodo testis esse possit disciplinae, quae illa aetate de prophetia et theologia prophetica, quam appellare solebant, vigebat, Chr. Aug. Crusius Lipsiensis. Quem virum quum propter gran-

dem ac solidam doctrinam laudet Delitzschius, non ego repugno. quum quasi testem veritatis in aetate fidei simplicitatem aspernante firmissimum ac validissimum admiretur, ego vero pariter veneror. laudo quoque doctum virum ac pium, quod perspicue et moderate et liberaliter et recte haud raro quum de universo codice sacro tum de prophetarum vaticiniis explicandis praeceperit. maximi sane aestimo virum, quem non puduerit requirere in sacrorum librorum interprete, „animi attentionem, modestiam, sedulitatem, probitatem, promtitudinem ad voluntatem Dei faciendam, studium denique cum pia precatione“ (Hypomn. I p. 588). sed eam quidem rem, quae summa esse debet in erudita disputatione de veteris prophetiae natura, non solum explicavit sed ne attigit quidem. Nam ea est viri venerabilis de inspiratione prophetica disciplina, ut ne possit quidem aut velit inquirere, quae fuerit divini Spiritus cum homine vera atque ethica, non magica, concordia. Cujus rei si quae ante illum inveniuntur vestigia, ut in Lutherro, ea omnia prorsus neglexit. ut divinam prophetarum auctoritatem evinceret, humanum hominum non laborem solum omnem ac studium sed intellectum quoque sustulit, in gravissimos, falsa pietatis specie abductus, errores incidit, a Patribus dudum et Lutherro quoque castigatos. Etsi in erroribus quoque viri laudati video honoris materiem. ita scilicet erravisse mihi quidem videtur, ut Dei veritatem Christique gloriam quaereret. quid mirum igitur, quod propius semper a veritate absit, quam ii, contra quos scripsit, quorumque disciplinam indoctam, pedestrem, vilem quam nihili et ipse habeam dicere nequeo.

Sed Crusii disciplinam ideo adumbrare operae pretium videtur, quia universae artis Lutheranorum interpretum, supranaturalistarum scilicet et orthodoxorum, qui dicuntur, quodammodo testis lautissimus est.

Universae vero prophetiae „scopum“ ait esse Christum (l. c. 6.), vel regnum Dei (p. 99 sqq. 163. 215 sqq.), „auctorem“ supranaturalem et unicum esse Deum (p. 6 sq. 71 sq.). Etenim prophetae, quum in annunciandis futuris rebus ma-

xime virtus eorum conspicitur, id regnum imprimis futurum praedicant, cujus auctor et defensor Christus esse debeat. In Christo enim quasi cardo vertitur antiquae et novae aetatis (p. 216. 640). ita scilicet, ut ante Christi adventum, si populi Israelistici communionem exceperis, nullum sit salutis vestigium nullaque spes. Sed in antiquo Dei populo docet esse basin atque ipsum corpus ecclesiae. quamobrem prophetarum de futuro Messia vaticinia primum quidem pertinent ad populum Israeliticum, tum ad paganos, et illos scilicet ad Christum convocandos. denique si quae sunt vaticinia ad certas aliquas personas dicta, ea comprobationis caussa solummodo dicta esse judicat Noster (p. 173 sqq.). Et in hisce rebus omnibus tantum abest ut legem aliquam innatam et necessitatem inquirat, ut omnem hujusmodi disputationem praecidat. Nam quum divinam solummodo vaticiniorum auctoritatem defendere velit, quae esse possit cum prophetis divini Spiritus ordinata consortio, quae esse debeat hominum conditio, qualisque industria, nil prorsus curat, immo vetat inquiri. Docet quidem, certam esse atque expressam prophetarum cum Mose concordiam (p. 163), fuisse prophetas morum ac doctrinae sanctitate conspicuos, verum in hisce rebus criteria ponit, quibus vera et divina prophetarum auctoritas confirmetur, non ita disputat, ut in ipsis prophetis nasci quadammodo videas prophetiam. Ad hanc enim rem, quam maxime quaerimus, supranaturalem solummodo et miraculosam inspirationem advocat. Nulla enim est in prophetis naturalis vaticinandi virtus, nulla vis, unde vaticinium emanet, animae domestica, nulla in ratiocinando et colligendo, nulla in probabilitate physica aut politica prophetandi causa (p. 7, 9 sqq.), Deus immediate omnia et supranaturaliter efficit in hominibus per Spiritum Sanctum illuminatis (p. 71), verba quoque expressa suppeditat, hominibus haud raro prorsus obscura (p. 85). Quamobrem mirum quam distat quaestio de vero prophetiae sensu, qui ex intentione Spiritus sancti verus sit, a quaestione de limitibus illius cognitionis, quae tum quidem fuerit in prophetis (p. 620). scilicet ex suis

quoque aliquid, et falsum fortasse id quidem, immiscere possunt prophetae, in quo casu non ipsam rem, sed rei relationem inspiratam esse dicit Causius (p. 87 sqq. 90). Tamen habet aliquid vir doctus, quod de vaticiniis eorumque specie potius quam natura doceat. Distincta enim notione, non recta quidem illa, ut puto, at perspicua a vaticinio verbali sejunxit typum sive reale vaticinium. nam typum in verbis quoque inesse negat. Typicae res solummodo sunt, typica est historia. verba prophetarum mera et expressa sunt vaticinia omnia (p. 43 sqq. 56 sqq.). Itaque typorum quidem, ex lucidiore, qui post futurus est, antitypo intelligendorum, quum nulla possit esse disciplina, de verbalibus, quae dicit, vaticiniis in hanc fere sententiam disputat. Vaticinia a Deo Spiritu Sancto injiciuntur homini tum per „ἔκστασιν i. e. cum quiete sensuum exterhorum", tum „per impulsum Spiritus Sancti internum, usu sensuum pariter atque rationis relicto," tum „cum extrinsecus oblata apparitione aut per vocem coelitus delapsam (בת קול), denique „per Urim et Thummim" (p. 56 sqq.). Quarum rationum omnium priores solummodo duae accuratius illustrantur. Laudandus vero vir doctus est, quod eam, quam dixit prophetarum ἔκστασιν sedulo dirimat a furore pseudoprophetarum, qui non Dei sed daemonum vim patiantur (p. 36). sanctam dixit ἔκστασιν eam, in quae nil valeat quidem aut vigeat innata hominum ratio, sensuum industria, mentis circumspectio, tamen ut elucere semper aut Dei decorum illud, quod eleganter laudat, et morum castitatem habitusque universi moderationem, sic rationis quoque usum video non satis constanter a Causio poni in exstasi (p. 36). Itaque quod optime simul et brevissime de prophetiae quoque natura docuit, in universum quidem de omnibus sacrorum librorum auctoribus disputans, hisce ejus verbis contineri sentio: „Scriptores igitur θεόπνευστοι non tantum considerandi sunt ut scribae, quibus dictaretur, multo minus ut instrumenta passiva, cujusmodi sunt calami et tibiae, quamquam cum his omnibus recte comparari possint, ita tamen ne simile ultra tertium comparationis extrudatur. Sunt enim

aliquid multo excellentius, quodque in suo genere unicum et in rebus humanis inimitabile est. Veri sunt auctores librorum, attamen secundarii, instrumenta Dei activa, *συνεργοὶ τοῦ θεοῦ*" (p. 93). Quae omnia quo rectius disputat Crusius, eo minus, opinor, sibimet ipsi consentit. Quae enim esse potest *συνεργία* eorum, qui rationis quoque et sensuum usu exstincto accipiant tantum ea, quae „stricte totidem verbis" Deus infundat, eaque ne intelligant quidem ipsi (p. 85. 620 sqq.)?

C. DE THEOLOGIS RATIONALISTIS, QUI DICUNTUR.

Hae igitur omnes, quas adhuc recensuimus et Patrum et Theologorum supranaturalistarum de re prophetica sententiae, quoniam in ea persuasione continebantur, ut divinarum revelationum ministri atque interpretes fuissent prophetae, id vero quo jure diceretur illaque, quam fuisse asseverabant, prophetarum inspiratio quo tandem modo intelligenda esset atque quae esset singularum prophetiarum origo et certus finis, tantum aberat ut accuratius illustrarent, ut his quidem rebus, quasi per se conspicuis ac minime dubiis, nimium neglectis singula tantum vaticinia tradita arte interpretarentur eorumque vim vere messianam defenderent, ex his quidem, inquam, caussis necessario consecutum est, ut ex altera quoque parte existerent, qui usum illum vaticiniorum, firmo scilicet fundamento stabilitum nullo et potius ex eventu solummodo satis dubio, ut multis visum est, comprobatum, sive minuerent sive prorsus negarent. Quid? quum disertissimis verbis docuisset Calovius, dirumpi ac turbari vaticiniis de Messia editis continuum atque compositum et mentis et orationis propheticae ordinem — et hic quidem communis omnium, qui eandem interpretandi regulam sequerentur, error esse videbatur —, nonne necesse erat, ut hisce rebus moveretur contradicentium dubitatio? Movebatur vero H. Grotius, princeps quodammodo rationalistarum interpretum. nam quum tantum non omnia vaticinia messiana e Veteris Testamenti prophetis delevisset, hanc caussam fuisse dixit, cur

„locos nonnullos“ a veteribus quidem ad Christum et evangelii tempora relatos ad historias retulisset aevo prophetarum propiores, quod „ni id fieret, ut ipse ait, viderem male cohaerere verborum rerumque apud prophetas seriem, quae ceteroqui pulcherrima est.“ Illud quidem non satis ingenue. nec id verum est quod aliqua certe ratione placaturus, opinor, hominum invidiam addidit, fuisse tamen in istis prophetarum locis involutam quandam Christi et evangelicorum temporum figuram (Annotata ad Vet. Test. Lut. Paris 1644. 1. praef.). Sed in hac quidem re omnis Grotii disciplina continetur. vaticinia, quae vulgo de Messia intelligebantur, ad Serubabelem maxime trahit, rem gravissimam brevi annotatione dirimi jubet, quaenam sit in illis ea, quam verbis praetendit, vis typica nusquam satis indicat[13]), de ipsius prophetiae natura et conditione alte silet. — Praeter doctum Grotium is maxime, qui non sine honore illius vestigia in vaticiniis interpretandis secutus est, Theologorum orthodoxorum sibi invidiam conflavit, Philippus a Limborch. Nam hic quidem, quum sicut Grotius eas quae vulgo de vaticiniis prophetici ferebantur opiniones illorumque usum et abusum potius, certa nulla regula moderatum ac confirmatum vehementer improbaret, Commentario in Acta Apostolorum et in epistolas ad Romanos et ad Hebraeos scripto (Roterod. 1711) hoc egit imprimis, ut magnum illud exegeticae artis damnum repararet. At vero, licet suo jure tritam a vulgaribus interpretibus viam neglexisset, quum internam rei prophetiae naturam melius quidem ipse haud perspexisset, immo vero indagare eam et ipse neglexisset et in usu potius sive singu-

13) Neque enim ea approbo, quae in Novi Testamenti locis, sicubi apostoli in suam rem quasi testes prophetas adiuncant, annotavit Grotius. Quae enim vis typica in celeberrimo illo Joelis oraculo esse potest, si »iterum« solummodo evenerit apostolorum aetate, quod de temporibus sibi propioribus propheta praedixerat? Qui potest, inquam, »impleri« vaticinium, dudum scilicet comprobatum atque absolutum, »circumstantiis quibusdam similibus«? Tum profecto prophetandi vis nulla est, ne typica quidem. cf. Reuss. l. c. p. 129 sq.

lorum sive omnium simul vaticiniorum recte definiendo haereret, in contrariam partem hic quoque vir doctus aberravit. Mirum sane est, quod ante SCHLEIERMACHERUM nemo fere gravissimum illum totius quaestionis locum attigerit. Videlicet LIMBORCHUS docta atque ingeniosa arte Grotianam disciplinam adornavit, rationalismum adjecto aliquo condimento quasi supranaturali temperans ita, ut LIMBORCHII ars, in duas simul partes adversas distracta, mystica sua lege vix cohibeatur. Vaticinia enim, quae directe sive sensu primo i. e. literali ad Christum futurum spectent, rarissima esse docet. est vero hujusmodi exempli gratia celeberrimum illud oraculum a Mose editum l. Deut. XVIII, 18. (cf. in Act. III, 22. l. c. p. 48 sq). Generalis vero vaticiniorum propheticorum haec regula est. Duplex cujusque vaticinii sensus est, literalis primus, secundus mysticus sive sublimior (Praef. p. 2. in Act. II, 16. p. 18 sq.). et in secundo tantum verborum propheticorum sensu messiana vaticinia plerumque continentur. Primus enim verborum sensus certam quandam rem sive personam historicam indicare solet, quae non satis longe absit a prophetarum aetate et cognitione. sicuti virgo illa a Jesaja dicta praesens fortasse erat et prophetae et regi (p. 18), certe notissima. atque etiam quae Abrahamo de posteritatis et afflictione et liberatione promiserat Deus, directe quidem sensuque literali non ad Christi mortem ac resurrectionem, sed ad Aegyptiacam populi captivitatem et ad Mosis historiam pertinent (in Act. XXVI, 22 sq. p. 200 sq.). Nihilo vero minus in omnibus hisce vaticiniis messiana quoque vis inest, secundum scilicet sensum mysticum et sublimiorem si respexeris, obscurum quidem illum et ex eventu demum comprobandum (l. c. p. 18 sq. 109. 200 sq.). Ea enim quae primo verborum sensu significatur sive res sive persona (sicut David saepissime) typi instar ipsa quidem est, cui quasi antitypus respondeat Christus. veluti virgo illa Jesajana pro typo habenda est Mariae, antitypi. Tali igitur ratione Apostolorum auctoritatem defendit, ne errasse videantur sicubi vaticinia adhibent quasi messiana, quae ipse non

directe pertinere ad Christum existimat. Eam vero, quam facile miraris, omnium vaticiniorum obscuritatem dubiamque naturam ex ipsius prophetiae conditione nasci dicit (l. c. p. 200. 464). prophetae enim quum ita missi fuissent a Deo ut „obscura quaedam" hominibus annunciarent, necessario consequens fuisse ait, ut „prophetia quamdiu nondum impleta esset semper obscuritate aliqua involuta esset." Sed apostoli ipso eventu satis ducti ad rem quamque singula vaticinia applicuerunt. qua in re et omnia vaticinia, quae adhibuerunt ipsi recte applicata fuisse censenda sunt — nam sunt quoque vaticinia tam obscura ut nos quidem ea ad Christi tempora pertinere haudquaquam intelligeremus, nisi nos apostolorum, immo vero Spiritus Sancti, optimi scilicet suorum verborum interpretis, doceret auctoritas (l. c. p. 19) — et à nobis quidem, sapienter vero monet, ea tantum vaticinia ad Christi historiam adhibenda esse, quae ab apostolis fuerint advocata (p. 555). Sed haec quidem veterum Rationalistarum disciplina, quoniam ea semper pietate moderabatur, quae divinam sacrorum scriptorum omnium auctoritatem venerabatur, longissime distat a recentioribus, qui vulgares suo jure dicuntur, Rationalistis. Nam quum non injuste illi quidem contra veterum Orthodoxorum ac Supernaturalistarum interpretationes exorirentur, atque doctrinae omne genus, artem historicam criticamque in explicanda vaticinia et dijudicanda adhiberent, non potuit quidem fieri, quin deletis aliquot vaticiniis a sueto more recederent, tamen ipsam prophetiam, ut divinitus institutam minime abjecerunt, et Limborchium inprimis ea videmus pietate cohibitum, ut altero quodam sacrorum literarum sensu posito mystico, hoc certe artificio expleret quodammodo si quid historica sua et critica interpretatione nimis delevisset. Etsi illa quoque aetate vir exstitit celebertimus, qui in judicanda quum universi sacri codicis auctoritate tum rei propheticae natura vilissimum rationalismum non sequeretur, sed primus potius auctor illius erroris atque defensor ipse esset, Benedictus Spinoza. Is ut philosophiam dirimeret a religione, rationemque libe-

raret a fide, atque philosophiae quoque liberrimae suum esse debere in libera Republica locum, demonstraret, hoc scilicet effecturus ut „unicuique et sentire, quae vellet et quae sentiret dicere liceret,“ has igitur ob caussas edidit Tractatum theologico-politicum (Hamb. 1670), Joannea voce (1. Joh. IV, 13) miserabiliter ornatum. Et illa quidem aetate nullum video, qui Spinozae auctoritatem secutus sit. tamen praetermittere philosophi de prophetiis disciplinam nolui, quia errores ex illo profectos postea sentio fuisse a multis recoctos, licet Spinozae fortasse libros nunquam suis oculis conspexissent, et Kantium potius sequerentur, toto coelo alias a Spinoza distantem, in judicanda re Veteris Testamenti prophetica illius simillimum. Breviter vero rem Spinoza conficit. nullam omnino prophetiam esse jubet. Ut Spiritum saepe Dei in „ventum“ commutat „fortissimum“ (sicut l. Gen. 1, 2. l. c. p. 10), sic in prophetis non divinam aliquam auctoritatem vere fuisse, sed „vividiorem,“ quam in ceteris hominibus, vel „vividissimam imaginationem,“ asseverat (l. c. p. 7. 15 sqq.). In quo loco non tam ideo improbo Spinozam, quod inspirationis notione sublata deleverit propheticam omnem virtutem, quam quod vilia sua somnia sacris nominibus praetextis, ita plerumque vendiderit, quasi cum sacris auctoribus concordaret. Centies enim inspirationem laudat prophetarum ac signa advocat, quibus ipsi certiores de suis oraculis redditi fuerint. Etenim tribus rebus docet fundatam esse certitudinem propheticam: primum, „quod res, ait, revelatas vividissime — imaginabantur,“ tum „signo denique et praecipuo, quod animum ad solum aequum et bonum inclinatum habebant“ (p. 17). At quid de „signis“ sentiat, videmus in Magorum historia (Matth. II), quibus, quia „nugis, ait, astrologiae credebant, revelata fuit Christi nativitas per imaginationem stellae in oriente ortae“ (p. 18), et similiter hariolatur de signis ac revelationibus Noae, Labano, aliis divinitus, ut dicit, datis (p. 23). Totum revelationis et prophetiae opus in imaginatione ponit. quid mirum igitur, quod qualis fuerit in singulis prophetis „temperamenti ratio, quae corporis quo-

que dispositio et mentis capacitas, „diligenter inquirat? scilicet ad eum quidem modum imaginationibus sese exercere debebant (p. 18). Nil igitur habet ad rem nostram SPINOZA. Consentit vero cum illo recentioris memoriae philosophus, J. KANTIUS, qui quum in sua provincia pariter excellat, in causa nostra non minus erravit. Nam KANTIUS quoque in libro suo inscripto „Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft.“ (Regiom. 1793), praesertim vero in libro, quem inscripsit „Der Streit der Facultäten“ (Ib. 1798) ita semper disputavit, ut nulla prorsus esse appareat omnium scriptorum sacrorum inspiratio, nullaque prophetia. Maximus ille exstitit rationis ac virtutis homini insitae patronus. ratione vero sua duce quam sacro codice primum ipse abusus sit, taedet sane me enarrare, exempla adsunt plura [14]). deinde, vero, quid ii effecerint, qui in KANTII potissimum verba juraverunt, jam videamus.

Quamquam nonnullos ex eorum agmine nominasse satis erit. Veluti Chr. F. AMMON, quum libellum suum „Entwurf einer Christologie des A. Testamentes“ (Erlang. 1794, denuo prodiit in l. „Biblische Theologie. Tom. II. Ed. 2. Erlang. 1801) hac mente scripserit, ut ipse tandem disputationes de vaticiniis messianis dirimeret atque componeret, prophetiam messianam nullam esse jussit. SCHUBERTUS vero, scriptor anonymus libri „Ausführliche Erklärung der sämmtlichen messianischen Weissagungen des alten Testaments“ (Altenb. et Erf. 1801) hoc sibi proposuit, ut instar oraculi quaenam conditio esset disputationum messianarum universo mundo patefaceret, et si quid adhuc perniciosissimae illius superstitionis (der Glaube an Weissagungen hat unendlich viel mo-

14) Attamen ne leviter atque injuste videar judicasse de viro clarissimo, juvat adscribere verba, quae fecit de re in Actis c. II narrata: »Nun trug es sich zu, dass, da am Pfingstfeste die Jünger versammelt waren, einer derselben auf den glücklichen, der subtilen jüdischen Auslegungsweise angemessenen Einfall gerieth, dass auch die Heiden — als in diesen Bund aufgenommen betrachtet werden könnten« etc. Vid. lib. Der Streit d. Facult. p. 107 sq.

ralisches und physisches Unglück in der Welt erzeugt.“ p. XXIV) in hominum mentibus haereret, id ipse probe castigaret et furca quasi expelleret. Porro W. C. L. Zirgelius commentatione sua „Vernunft- und Schriftmässige Erörterung, dass der Beweis für die Wahrheit und Göttlichkeit der christlichen Religion mehr aus der innern Vortrefflichkeit der Lehre, als aus Wundern und Weissagungen zu ziehen ist; sammt einer Entwickelung des wahrscheinlichen Ursprungs der Ideen vom Messias (cf. Henke, Magazin für Religionsph. etc. I. Helmst. 1794. p. 20 sqq.) hasce res valde admirabiles edixit, primam: „Weissagung ist ein dunkles Symbol, eine starke Ahnung künftiger Zeit, die sich entweder in eine trübe oder helle Aussicht verliert. Mit einem einem Wort ein vorbedeutungsvoller Wink von dem was da kommen soll.“ alteram: „Messianische Weissagung ist — ein dunkles Symbol, eine muthige Aussicht in die Zukunft auf einen grossen Beglücker der Israelitischen Nation.“ tertiam vero, hanc quidem spem post Davidis demum aetatem natam in populo israelitico fuisse (l. c. p. 58. 61. 64 sq.). Denique G. T. Griesingerus (l. Prüfung des gemeinen Begriffs von dem übernatürl. Ursprunge der prophetischen Weissagungen. Stuttg. 1818) non fieri posse ratus, ut Deus, quippe qui non sit temporalis, temporaliter ageret, ne in prophetis quidem agere potuisse Deum dixit. Itaque aut ex naturali quadam divinatione ac sagacitate politica prophetarum vaticinia, si quae recte dicantur, omnia manasse censuit, aut ipsi rerum naturae universoque mundi ordini eam vim, obscuram quidem illam, fuisse ab initio insitam, quae prophetiam gignere potuisset, suspicatus est. — Omnes vero hi viri eodem consilio eodemque errore continentur. Id enim omnes simul egerunt, ut adversus nimiam — hoc enim non negaverim — at piam certe orthodoxorum Theologorum industriam commonstrarent, validissimum quidem rei christianae firmamentum non esse positum in prophetarum israeliticorum testimoniis. at vero hoc ita optime efficere sibi videbantur, si nullam omnino prophetiam esse comprobarent.

Accessit error, omnium rationalistarum communis, et supranaturalistarum imperfecta, quam satis vituperavimus, disciplina motus atque confirmatus. Miris enim modis nobilissimam prophetiam, cujus scilicet naturam internam et ethicam quidem illam utriusque partis Theologi minime intelligebant, cum divinatione, singulas quasque res contingentes, quae dicebantur, augurante, confundebant (cf. Ammon, l. c. p. 10. Schreer. praef.).

Sed hoc quidem rationalistarum genus, dudum antiquatum [15]), quum nullos prophetas fuisse censerent, alii ejusdem fere sententiae auctores aliquid certe fuisse in prophetis professi sunt. triplici enim modo tum poëticam, tum politicam, tum moralem potissimum prophetarum virtutem laudaverunt. Primum enim Bertholdtii atque Eichhornii (in libris isagogicis), ut nobiliore doctrina insignes, quum propheticam quidem prophetarum naturam haud melius perspexissent, poëticam certe illorum elegantiam satis mirari non poterant. Velut Eichhornius singulis paragraphis omnium prophetarum artem poëticam describere solet et quam bella haec sit formula, quam vero elegans ac nitida ista imago clamare. Politicam quoque prophetarum excellentiam et moralem minime contemnunt quidem Bertholdtius atque Eichhornius, sed maxime has quidem eorum virtutes indagarunt Credner us et Knobelius. Ille enim prophetarum sagacitatem ac vafritiam ita descripsit (Der Prophet Joel. Halle 1831 p. 52 sqq.), ut Jesuitae quoque ab illis didicisse videantur [16]). Knobelius vero quum in adumbrando prophetarum officio et natura permultas res arctissime inter sese nexas et copulatas invita Minerva dissecuit — quasi vero discerpta membra si qui satis cognovisset, totius quoque corporis harmoniam intelligeret —

15) Etsi mirum est, quam ea, quae praerogativam quasi scientiam hodie gloriatur, philosophorum familia cum pedestri isto rationalismo concinat. Cf. Strauss, die christl. Glaubenslehre. Tub. 1840. I p. 219 sqq.

16) Contra virum doctum defendi Amosum in I. Theol. Stud. u. Krit. 1849. 4. p. 884 sq.

tum maxime in eo errasse mihi quidem videtur, primum quod prophetarum disciplinas dogmaticas, et has quidem duplices, generales et theocraticas, morales et politicas, quasi inter sese ipsas diversas nulloque principio conjunctas exposuerit, deinde quod praeter diversa haec, quae videntur illi, disciplinarum genera iterum tanquam res novas ac diversissimas posuerit tum vaticinia communiter dicta, tum vaticinia theocratica, denique messiana. Ex omni hac disputatione quum dogmatica fortasse et moralis et politica virtus prophetarum emergat, prophetica certe nulla apparet. Neque vero ea, quae ad internam prophetarum conditionem disputavit, mihi probantur. Parum enim scite nec satis accurate disserit in eo loco, qui de natura prophetismi (Wesen des Prophetismus) inscribitur, primum de prophetis divinitus inspiratis (die Propheten als Gottbegeisterte), tum divinitus illuminatis (als Gotterleuchtete), denique a Deo mandatis (als Gottbeauftragte). atque ex tribus his rebus, quasi diversis inter sese, officium manare dicit prophetarum (der Beruf der Propheten) triplex, religiosum, morale, politicum. Accedit locus, qui inscribitur „Character der Propheten.“ Verum ne hic quidem invenias, quae propheticam prophetarum naturam efficiant. —

D. DE HERDERO.

Sed ante SCHLEIERMACHERI aetatem, quum et orthodoxorum et rationalistarum Theologorum sententias improbaverimus plerumque, unus tamen vir exstitit, poëtico ingenio ac theologica doctrina pariter insignis, qui earum, quas adhuc descripsimus, sententiarum nulli addictus, ipse quasi sanioris disciplinae propheta fuisse videatur, HERDERUS. Is enim licet nusquam hoc egerit, ut accuratissime omnem prophetarum conditionem definiret penitusque describeret, ita tamen et in eo libro, quem de poësi Hebraeorum composuit (cf. Werke. Zur Religion und Theologie. Tom. I. III. Tub. 1805), et in epistolis theologicis (ib. Tom. IX. X. Tub. 1808)

disputavit [17]), ut admirari satis nequeam, quantum vir egregius omnes suae aetatis Theologos superaverit. Interiorem enim et sanctum mentis propheticae recessum etsi recte a vulgi curiositate defensum esse voluit (l. c. III p. 74 sq.), ipse tamen quod sine injuria et quaeri et intelligi possit, diligentius saepe disputavit. Sed a rationalistis quidem quum hac re maxime diversus sit, quod divinam fuisse defendit prophetarum auctoritatem et eam, quae de Messia futuro vera vaticinia edidisset — nimirum vulgarem istam opinionem de accommodatione ac judaica apostolorum interpretatione, vaticinia messiana advocantium, vehementer contemsit („Kurz, wir haben nur durch's beneficium der Allusion und Judendeutung einen accommodirten Christus," l. c. IX p. 215) — alteram quoque orthodoxorum et supranaturalistarum doctrinam longe superavit iis, quae de historica atque ethica prophetarum conditione disseruit. Nam quum Noster quoque prophetas tanquam interpretes Dei fuisse dicat divinaque verba per illorum ora fluxisse (l. c. III p. 63 sqq. 72), neque tamen in universa vaticinandi facultate, neque in messianis eorum vaticiniis summam virtutem propheticam posuit (l. c. III p. 72. I, p. 333. IX p. 108). Ita potius verbum Dei per prophetas editum viguisse optime videtur Herdero („dies thatvolle Wort" III p. 59. cf. p. 55 sqq.), ut in omnibus rebus populum monuissent et adjuvissent et docuissent et sanctificassent tum ipsorum vita exempli instar proposita, tum lege Mosaica repetita atque defensa, tum spe theocratica ac messiana maerentibus civibus oblata. In universum igitur officium prophetarum ut pars una cadebat futurarum rerum praedictio. Recte vero, sed quaecunque prophetae vice Dei aperiebant sive de rebus futuris sive praesentibus, eorum omnem scientiam, ex inspiratione scilicet profectam, tali

---

17) Librum „Herder's Dogmatik aus dessen Schriften dargestellt — von einem Freunde der Herderschen Gnosis. Jen. 1805" p. 196 sqq. frustra conferes, si, quid Herderus de re prophetica senserit, discere voles.

modo definivit Herderus, ut hac potissimum disputatione moveat me ut assentiar. Ethicam enim, quam saepe laudavi, et proinde historicam prophetiae conditionem duabus maxime rationibus sustinuit atque illustravit, generali una, altera speciali vel individuali potius — si verbo uti liceat — ac personali. Primum enim, Lutheri Calvinique auctoritatem secutus, quantum e Mose sumserint prophetae rectissime monet (l. c. p. 333. III p. 51 sqq. 72 sq. 160). etenim e lege, totius scilicet veteris oeconomiae fundamento, omnes simul pendere prophetas defendit. certum quendam nexum omnium intelligi vult et cum Mose et inter sese, atque etiam ut a Mose sic a Davide ait didicisse prophetas (l. c. III p. 397 sqq.). Ita vero summa haec regula indicatur, ut universae rei propheticae sit cursus vere historicus, siquidem non singulis semper prophetis cuncta Deus patefecerit, sed ipsos quoque voluerit et ex communi vitae theocraticae fonte, et ex iis, quae quibusque antea aperuisset, haurire. Ex hac vero Herderi sententia altera quoque, quam diximus, ratio conspicua est, qua suam cuique proprietatem ac libertatem vindicat. Nam haec quidem, quam modo commemoravi, rerum sacrarum et legis superiorumque prophetarum cognitio quum in omnibus pariter esset, diversae quoque singulorum conditiones erant, ut divinam revelationem acciperent. haec enim in re prophetica et libertatis et varietatis caussa ethica apparet. Ut enim legis instituta et minas et promissiones in suum quisque usum vertere debebat, sic ea quoque, quae singulis condonabatur revelatio divina, secundum cujusque proprietates facta est (l. c. IX p. 106 sq. III, 60 sq.), nunquam scilicet ecstatica ac furiosa (III p. 66 sq.), semper ordinata et ethica. — Et haec quidem omnia egregie mihi probantur. etsi universam rem propheticam minime descripsit Herderus. id enim ne voluit quidem. notas potius rei propheticae varias ingeniose apposuit, quas nisi quid e nostra mente addere placuerit, accuratius exponere atque illustrare haud liceat. —

CAP. III. DE SCHLEIERMACHERO ET IIS QUI POST ILLUM SCRIPSERUNT.

A. DE SCHLEIERMACHERO.

Navum errorem pluris saepe aestimandum esse quam non errantis ignaviam, ut scite atque eleganter dixit Godofredus Hermannus, comprobasse mihi quidem videtur Schleiermacherus, quum de re prophetica ageret. Id enim ipsum, quod non recte dixisse mihi videtur vir ingeniosus, plus tamen valere ad veritatem perspiciendam existimo, quam ea, quae a superioribus Theologis, licet non falsa prorsus, ad rem propheticam disputata sint. Internam enim rei propheticae et messianae naturam easque, quae in illa vigeant leges historicas atque ethicas si quando attigerunt veteres, id casu magis accidit, quam eo consilio factum est, ut interiorem rei conditionem et quasi oeconomiam intelligerent. Melius vero Schleiermacherus, quem hanc ob caussam in capite recentiorum Theologorum ponere visum est, quod primus ille prophetiae res futuras agentis notionem ac naturam indagaverit. Ejus autem haec est sententia [18]) (cf. l. Der christliche Glaube. Ed. 2. Berol. 1830. II p. 133 sqq. I p. 103 sqq.). Maximum discrimen intelligi vult inter vaticinia, quae recte dicantur, prophetica („Weissagung") et quamcunque praedictionem seu divinationem („Vorhersagung"). duo enim haec genera et origine et dignitate esse ait, longe diversissima. Illud enim prophetiae genus sanctum esse censet et necessario verum, alterum hoc non item. illud in rebus generalibus versari et ethicis et humanis, alterum in singularibus et

18) Contra singularem quandam Schleiermacheri opinionem de usu et auctoritate vaticiniorum messianorum disputavit Hengstenbergius (l. c. I. 1. p. 20 sqq.), at id, quod nobis quidem maxime placuit in Schleiermachero, non solum refutavit sed ne examinavit quidem. Neque vero Hofmannus (l. c. p. 2) insignem Schleiermacheri auctoritatem satis intellexit, neque Delitzschius (l. c.) ingeniosum virum audire voluit.

politicis et israeliticis: illud denique esse messianum — sola igitur messiana prophetia est — hoc in divinationem cadere, nec esse vere propheticum. Nimirum eam, quam praedictionem appellat, ita descripsit: Die Weissagung der A. T. Propheten — war theils eine besondere, auf einzelnes gerichtete, und, weil auf den beiden jüdischen Hauptbegriffen der Erwählung des Volks und der Vergeltung ruhend, grösstentheils hypothetisch der warnenden, aufmunternden oder tröstenden Lehre, dem Geiste des Gesetzes gemäss, bezeichnet. Definita vero messianae prophetiae notione, quam deinceps recensebimus, ita pergit: Die erstere war eine eigentliche Vorhersagung, der in ihren mehr oder minder bestimmten Angaben bald ein höherer, bald ein geringerer Grad von Richtigkeit zukam. Et praedicentes quidem seu divinantes prophetae, quum communiter duabus illis rationibus sustinerentur externis atque historicis, tum ea persuasione, ut populus esset a Deo electus, tum populari de justitia divina sententia, in semet ipsis quoque singulares praedicendi conditiones habebant, quas Schleiermacherus nominavit: „historischen Sinn," sive „verständiges Zusammenschauen der menschlichen Verhältnisse und richtiges und tiefes Gemeingefühl," tum „aufgeregtes, unerklärliches Ahnungsvermögen." Hae vero omnes prophetarum praedicentium virtutes, sive historica illa et ethica — nam ethica certe est ea, quae in communione hominum versatur — sive divinatoria haec, quam significat, tantum abest, ut certam quandam veritatem et sanctitatem efficiant vaticiniorum propheticorum, etiamsi rerum eventus divinationes illas confirmaverit, ut totum hoc genus ad physicam scientiam et psychicam quidem pertinere existimet (Alle Vorhersagungen aber, sowohl die aus geschichtlichem Sinn als die aus unerklärlichem Ahnungsvermögen werden der psychischen Naturforschung anheim gegeben). Dura profecto vox et quae contradicentium animos merito provocet. — Divinationi vero opposuit prophetiam sive vaticinia messiana. Quae hoc modo definivit: das Wesen derselben („Weissagung") beruht darauf, dass sie

die Zukunft des wesentlichen Gottgesandten aussprach, dessen Idee von den Einzelnen nur nach Jedes Weise beschränkt aufgefasst werden konnte, richtig verstanden aber immer das Ende jener beiden jüdischen Begriffe der Vergeltung und der Erwählung in sich schloss (l. c. II p. 133). Sed cum hac messianae prophetiae descriptione necesse est ut comparemus ea, quae antea (l. c. I p. 103 sqq.) dixit, vehementer improbante HENGSTENBERGIO: nam cur hoc quidem messianae prophetiae argumentum, quasi generale („sie erhob sich über das einzelne zur Darstellung des allgemeinen, und trat als solche schlechthin auf"), opposuerit specialibus divinationibus, ex illo tantum loco intelligi potest. Nimirum divinatoriam illam prophetiam cur in fortuita quodammodo singularum rerum varietate versari dixerit, conspicuum quidem est. Ejusmodi scilicet oracula ita edebant prophetae, ut tum ex ipsa rerum natura, tum e communi illa, quam in duabus potissimum rationibus posuit, persuasione theocratica sua et ethica virtute vel satis clare intelligentes vel obscurius interdum praesagientes edicerent. At vero messianorum quidem vaticiniorum unum idemque semper fuisse principium et argumentum tali modo defendit SCHLEIERMACHERUS, ut hac ipsa re et veritatem et sanctitatem hujus quidem prophetiae, quae sola recte appelletur, contineri dicat. In ea enim semper viguisse ait desiderium immutabile hominis peccatoris redemtionem et justificationem appetentis („Erlösungsbedürfniss"). ipsa igitur natura humana, quippe quae semper et peccatrix sit et peccatorum conscientia angatur innatoque impulsu ad sanctam quandam libertatem feratur, messiana illa vaticinia, quae christianam salutem adumbraverunt, peperit (Und dies ist die eigentliche — Bedeutung der messianischen Weissagungen, wo auch und in wie dunkle Ahnung verhüllt sie vorkommen, dass sie uns ein Hinstreben der menschlichen Natur nach dem Christenthum entdecken"). Quodsi ita est, hac solummodo ratione valent vaticinia messiana in singulos homines ad Christi communionem salutiferam quaerendam et ineundam, ut quod in illis

vigeat desiderium, in semet ipso quisque idem sentiat i. e. ut quisque ex suomet ipsius desiderio idem possit vaticinari. Si quis enim solum intellexerit, bonam esse vaticiniorum cum Christi historia concordiam, hanc quidem notitiam quandam esse inquit, et eam fortasse, quae eum, qui id intellexerit, moveat ut ad Christi se signa conferat, neque vero ea cognitione effici fidem. fides enim non intelligentis solum esse potest, sed ejus qui ethicum illud damnum et desiderium ut suum ipse senserit.

Hanc quidem SCHLEIERMACHERI sententiam quibus in rebus vel sequamur vel improbemus, videamus. Mihi quidem ante omnia hoc displicet, quod historicis rei propheticae exemplis prorsus neglectis ex sua potius mente, quamvis ingeniose, et divinationem prophetarum et messiana illorum vaticinia dijudicaverit. Quod enim de utriusque generis natura et dignitate censuit SCHLEIERMACHERUS, id ipsius quidem universa disciplina egregie confirmatur, et habet profecto magnam aliquam veritatem, ea vero quae tandem sit ex ipsis prophetis, non ex iis, quae verisimilia nobis esse videantur, effici debet. Quid enim? Quum egregio consensu omnes simul prophetae clament, divinam esse propheticae orationis auctoritatem, num recte videbitur SCHLEIERMACHERUS sensisse, qui ne in messianis quidem vaticiniis vim ullam divinam posuerit, nedum in altero prophetiae genere, quod prophetiae quidem nomine quoque indignum esse voluit? Primum igitur, si ipsos prophetas audias, non recte ejusmodi discrimen posuit duorum, quae esse voluit, prophetiae generum. deinde in eo erravit, quod divinam quidem prophetiae auctoritatem nullam esse censuerit. communis denique cum superioribus certe omnibus Theologis SCHLEIERMACHERI error est, quod propheticam prophetarum virtutem i. e. eam, quae in futuris rebus versetur, quasi longe diversam ab universa prophetarum natura atque officio descripserit. Ii vero omnes errores quam arcte inter sese nexi sint facile intelligitur. Quodsi historice potius rem historicam tractare voluisset SCHLEIERMACHERUS, quam philosophice, non in eos errores incidisset, quos veteribus

Theologis contrarios prorsus esse judico. Illi enim quum ita historiam sequerentur, ut suo judicio omisso fere rei, quam quaerebant, ne historicam quidem naturam bene perspicerent, SCHLEIERMACHERUS potius ita sibi ex sua mente historicam rei conditionem composuit, ut, licet ingeniose erraverit, non errare certe non posset.

Nihilo vero minus magni facio errantem quoque SCHLEIERMACHERUM, et hanc quidem ob caussam, quia, quum omnes, qui ante illum scripserunt Theologi — nisi qui prophetiam nullam omnino esse voluerint — divinam tantum, quae in prophetia viguisset, auctoritatem sensissent, hic naturalem potius et humanam et ethicam rei naturam indagaverit. Nimirum quum in messianis quidem vaticiniis ac in iis, quae praesagiorum instar esse dixit, humanam pariter vigere auctoritatem statuerit, quid tandem caussae esse potest, cur illa quidem et vera et sancta esse videantur, haec vero non videantur? Ethicam caussam esse voluit SCHLEIERMACHERUS. messiana enim vaticinia ita nata esse censuit ex ethica prophetarum conditione, ut ex eadem cujusque hominis conditione similia vaticinia proficisci oporteret. Male hoc quidem. neque enim humana solummodo prophetia est, sed divina quoque. et ita demum nobis quidem ex ethico illo sensu ac desiderio vaticinium messianum manare videtur, si divina revelatio accesserit. Sed eam quidem conditionem esse judico revelationis accipiendae. Quodsi et naturalem illam ethicamque SCHLEIERMACHERI rationem recte comparemus cum necessaria ea, quam prophetae defendunt, auctoritate divina, melius, ut spero, perspiciemus et messianum et alterum genus prophetiae. nam hujus quoque quae sit ratio ethica, apparebit.

B. DE IIS, QUI POST SCHLEIERMACHERUM SCRIPSERUNT.

a. DE HENGSTENBERGIO.

Sed de hac SCHLEIERMACHERI disciplina non ideo solum accuratius disputare visum est, ut qui post illum de rei propheticae natura scripserunt, HENGSTENBERGIUS inprimis et HOF-

MANNUS, quam immerito illum neglexerint, appareat, verum etiam ut ea, quae NITZSCHIUS ante alios acute dixit contra HENGSTENBERGIUM, qua ratione contineantur, satius intelligatur. Jam igitur quum ad HENGSTENBERGII sententiam examinandam pergamus, primum conferas doctissimum ejus, quem sapius laudavimus, librum christologicum (I, 1. p. 293 sqq.), tum ejusdem commentationes, quas appellavit „Beiträge zur Einl. in's A. T. Tom. I. Die Authentie des Daniel und die Integrität des Sacharja. Berol. 1831. p. 188 sqq. et ea quae disputavit de *interpretatione* prophetarum in l. Evangel. Kirchenzeitung. 1833. Nr. 23, 24. denique commentarios in Psalmos (Berol. Vol. I. II. Ed. 2. 1849 sq. Vol. III. IV. 1844 sq.) a viro docto scriptos. Contra illum exstitit inprimis NITZSCHIUS (System der christl. Lehre. Ed. 5. Bonn. 1844 p. 86 sqq.), tum STEUDELIUS, qui quid potissimum egerit inscriptione quoque commentationis suae indicavit (Über Auslegung der Propheten. Vide l. Zeitschrift für Theol. Tubing. 1834. 1. p. 87 sqq.), et HOFMANNUS (l. c. p. 3 sqq.). Videas etiam, si placet, quae nos brevius in virum doctum disputavimus in l. Göttingische gel. Anzeigen 1848. p. 1313 sq. Divinam quidem vim esse prophetiae divinamque auctoritatem rectissime contendit HENGSTENBERGIUS. at vero tali ratione sententiam eam defendit atque illustravit, ut humana quidem et ethica facultas ac libertas in prophetia nulla esse debeat. his vero deletis cognitionem quoque rei et historiam sustulit. Accedit vero, cur HENGSTENBERGIUM improbemus, caussa altera. nam in libro suo nominato Kirchenzeitung, etsi de interpretandis vaticiniis maxime egit, quum fieri tamen non posset, quin ipsius rei naturam explicaret, ita disputavit, ut parum constare sibimet ipsi videatur, si ea comparaveris, quae in christologico libro docuit. Ipse quidem nullam esse sentit discrepantiam. alteram sententiam ex altera vult emanare. attamen et quale sit utriusque sententiae discrimen et qualis nexus esse inter utramque videatur, apparebit.

Omnis interim HENGSTENBERGII disputatio quum rectissime

quidem ita instituta sit, ut divina sustineretur prophetiae auctoritas perfectaque veritas, egregie tamen in ea ratione errasse mihi videtur vir doctissimus, qua sententiam illam, universo ipsorum prophetarum consensu comprobatam, effinxerit atque descripserit. Nam ut recte intelligatur, quanta sit humanae cujuslibet praedictionis ac divinationis a prophetia, quae jure dicatur, utpote divina, distantia, illam quidem esse dicit subjectivam, quippe quae ex ipsius hominis mente et natura et desiderio fortasse prodeat, quae habeat denique, ut viri docti voce utar, „einen Anschliessungspunct im Gemüthe des Menschen". alteram ideo divinam esse existimandam, quia ex humana quidem aut naturali caussa nulla orta sit, sed divinitus in homine propheta mota atque excitata, hominique indita, hanc igitur supranaturalem esse censet, sine ulla hominis cogitatione et actione non effectam solum, verum etiam acceptam. Nam singularem hominum prophetarum, qui divinam inspirationem passi sint, conditionem eam fuisse censet, contra quam satis disputare Patres vix potuerunt, ἔκστασιν. Quam his verbis Hengstenbergius descripsit. „Es zeigt sich, dass auch die wahren Propheten sich in einem ausserordentlichen, von dem gewöhnlichen characteristisch verschiedenen Zustande, in einer ἔκστασις befanden, in der das verständige Bewusstsein zurücktrat, und das ganze Selbstleben durch eine gewaltsame Wirkung des göttlichen Geistes unterdrückt und zu einem leidentlichen Verhalten gebracht wurde" (Christ. l. c. p. 294). Quam ob rem quum singulares quidem nonnullae prophetiae notae esse videantur atque interpretandorum vaticiniorum regulae sint nec paucae nec vero difficiles, quas satis accurate definivit vir doctus, tamen ipsius rei natura legesque, si quae sunt, internae intelligi nullo modo possunt. Scilicet pure divina est prophetia, humani nihil prorsus admixtum habet. Itaque quid singulis Deus patefecerit eosque praedicere jusserit, effici quidem exegetica arte potest, qui sit organicus omnium prophetarum nexus, quae leges in omnibus simul vaticiniis vigeant historicae vel ethicae, cur Deus,

suas cuique res aperuerit, non Jeremiae quod Jesajae, non Maleachiae idem quod Abrahamo ac Mosi, et homines quidem qua tandem ratione quibusve conditionibus acceperint divinam illam revelationem et inspirationem, haec omnia quaesivisse aut stultitiae aut temeritatis quoque esse debet. Veluti Nitzschius, quum internam quandam, quae in ipsa re prophetica viguisset, potentiam statuerit, eam quam vividam quasi vegetamque cogitationum propheticarum dialecticam eleganter nominavit, ab Hengstenbergio (l. Beiträge. l. c.) *ἀπιστίας* accusatur. quasi vero quod *humanam* quoque in *homine* propheta potentiam defenderet Nitzschius, divinam quidem sustulisset. Contra Hengstenbergius ut satis defenderet potentiam divinam, sustulit humanam. illam vero quoniam ponderare ac definire, ut visum est viro docto, non licet, hanc, quippe quae nulla sit, nil attinet, de prophetiae in homine genesi et conditione ethica nil prorsus explicat. exegeticas tantum regulas praecipit, quae quia et ex opinione illa de prophetarum ecstasi profectae sunt, et in alteram, quam supra commemoravimus, sententiam virum doctum duxisse videntur, describendae brevius sunt. Earum vero haec est summa. Cujusque videlicet prophetiae siquidem *auctor* Deus sit, homo internuncius solummodo atque interpres, saepe fieri, ait, ut homini parum prospectum sit id, quod necessitate divina agitatus aperiat. et inprimis temporum rationes obscuriores plerumque esse prophetis in vaticiniis edendis. quamobrem hoc quoque saepe usu venire affirmat, ut dubitare possit lector, qui sit sensus prophetiae ab homine propheta indicatus, qui vero sensus divinus [19])

19) »Nur muss man dabei zwei Fragen wohl unterscheiden, die Frage, welchen Sinn die Propheten in ihren Weissagungen fanden, und welchen Sinn Gott bei denselben beabsichtigte. Beide Fragen sind als verschieden erwiesen, sobald der Beweis geführt worden, dass die Proph. in der Ecstasis redeten. Die Antwort auf die erste Frage kann auf diesem Wege (historiae messianae intellige comparationem) nicht gefunden werden; auch ist sie uns nicht von grosser Wichtigkeit. Denn die Proph. waren nur Organe des göttlichen

(l. c. p. 324 sqq. 347 sqq.). Harum vero quaestionum omnium recte dirimendarum etsi plures reperiri possunt regulae exegeticae, quas satis accurate illustravit Hengstenbergius, tamen certissima atque constantissima testis est ipsa historia, qua quidem Deus vaticinia a semet ipso antea edita comprobaverit atque interpretatus sit (l. c. p. 312. 317. 327 sq. 334. 348 sq. In Psalm. 110. 22. al. L. c. IV. 1. p. 239. II p. 11 sq. al. Cf. IV. 2 p. 308.). In universa vero hac doctrina quam sibi constet vir doctus ipse viderit — nam siquidem divina tantum auctoritas in prophetia statuitur, quae in homine amente atque impotente vigeat, humanus quidem prophetiae sensus humanaque intelligentia quae esse possit, ego sane non video, nil potius intelligi ab homine, nullum esse humanum in prophetia sensum dicendum fuerat — sed in hac quidem doctrina quo gravior auctoritas esse dicitur certissimae historiae, qua singula vaticinia completa fuerint, eo magis miramur, quod in commentatione de interpretandis prophetis scripta (l. Kirchenzeitung l. c.) hoc quidem rei propheticae testimonium omnium validissimum nisi deleverit prorsus, certe ita descripserit, ut neque completionis historicae neque prophetiae, quae recte dicatur, locus ullus supersit. Posterioris vero sententiae a priore distantiam incredibilem — quam Hengstenbergius quidem nullam fere esse sentit — atque utriusque nexum, quem esse suspicor, ita descripserim. Primum videlicet quum hominibus res futuras, prout Deus inspiraverit, praedicentibus temporum quidem futurorum rationes parum perspicuas atque absconditas quodammodo fuisse voluerit, post eo progressus esse videtur, ut putaret, ipsorum quoque temporum nullam esse omnino rationem firmam atque absolutam. In hanc enim ille sententiam de-

Geistes, bei denen während der Ecstasis, welche mit einem Zurücktreten des verständigen Bewusstseins verbunden war, von einem richtigen oder falschen Verstehen nicht die Rede sein kann,« l. c. p. 317 sq. — Eadem sententiam, supra descriptam, ad verbum fere vir doctus repetit.

clamat; „Nichts erscheint uns mehr als rein vergangen, nichts als rein zukünftig, alles als vergangen, gegenwärtig und zukünftig zugleich, wie es in dem Worte desjenigen, der da ist und der da war und der da sein wird nicht anders sein kann.“ Scilicet in hac quidem ratione celeberrimum illud „de te fabula narratur“ contineri censet; quod in sacris literis maxime vigeat. jam enim nosmet ipsi realiter ac proprie dicimur, quum Israel dicitur vel Idumaea vel Babylonia, et vaticinia quidem, quae in illos ediderunt prophetae in illisque completa sunt, ea pariter ad nos pertinent semperque complebuntur. Nulla enim singularis singulorum vaticiniorum completio est. Ita enim ille: „Keine That Gottes ist zufällig, alles was er thut ist Ausfluss seines Wesens; deshalb ist jede That zugleich wieder eine Realweissagung, die ganze Geschichte der Thaten Gottes eine rückwärtsgehende Prophezeiung.“ Immo vero si quis certo quodam ac singulari facto completum esse judicat singulare aliquod vaticinium, is ipsius Dei essentiam male intellexisse videtur Hengstenbergio. ejusmodi enim errorem esse ait ita sentientis: „Gott gebe sich als einen in der Gemeine Werdenden auf und zöge sich in sein ewig vollkommenes Sein zurück.“ Quae quum ita sint, exempli gratia vaticinium Joelis primum quidem die pentecostali completum neque vero absolutum est, sed reali illa comprobatione quasi repetitum ac futuris temporibus propositum iterum completum est et directe quidem ac proprie („im eigentlichen Sinne“) ante XXX fere hos annos quum confectis bellis nova pietate homines excellerent.

Hanc quidem doctrinam, qua acumen rei propheticae obtunditur, cum rationalistarum sententiis rectissime comparavit Steudelius. speciales enim certasque praedictiones certa ac consona ratione absolvendas Hengstenbergius in generales quasdam futurarum rerum notiones ac divinationes corrupit. specialissimorum autem vaticiniorum, quae a se minime negari asseverat, qui locus esse possit ego sane non video. Etsi qui principalis error sit Hengstenbergii, neque ex posteriore hac disputatione elucet neque satis vidit Steu-

DELIUS, vidit vero NITZSCHIUS, qui quum a SCHLEIERMACHERO didicisset, maximum esse et ethicum quidem illud inter prophetiam („Weissagung") et vaticinationem („Vorhersagung") discrimen, HENGSTENBERGIUM quidem, deleta ethica prophetiae notione, manticum et magicum praedictionis genus inferre judicavit. Recte omnino, et ideo quidem id HENGSTENBERGIO accidit, quia quae esset humana quoque praeter divinam in prophetia potentia et actio [20]) non intellexerat. utriusque enim concordia ethicam efficit prophetiam atque historicam. nam quod pure pute divinum est, id non est historicum, sed aeternum et semper idem.

b. DE HOFMANNO.

Sed quum homo sit, qui Deo auctore prophetae munere fungatur, et HENGSTENBERGIUS quidem hominis cum Deo in prophetia concordiam ita efficiat, ut humanam potentiam nullam prorsus esse dicat, siquidem sola vigeat auctoritas divina — quae nescio an tyrannica potius esse videatur quam regia ac liberalis —, ratione longe diversissima rem explicuit HOFMANNUS. Qui etsi non sine jure adversus HENG-

20) Optime etiam F. B. KOESTERUS (Die Propheten des A. und N. Testaments nach ihrem Wesen und Wirken dargestellt. Lips. 1838), qui in describenda re prophetica NITZSCHII potissimum auctoritatem secutus esse videtur, contra HENGSTENBERGIUM ita disputat (l. c. p. 3): »Weissagung ist ein Beweis zugleich von der Schwachheit und von der Herrlichkeit der Menschennatur; sie gründet sich eben sowohl auf die menschliche Sündenhaftigkeit, als auf das Ebenbild Gottes im Menschen. Durch jene wird sie nothwendig: durch dieses möglich.« Quodsi vir doctus hoc, quod egregie dixit, in omni sua de re prophetica disputatione diligenter retinuisset atque accurate illustrasset, neque vero in singulorum prophetarum historia et variis vaticiniorum speciebus ac formis, in particularibus denique atque externis rebus nimis versatus esset, rectissime profecto rem agere debuisset. At vero de prophetis quidem omnibus, et de vaticiniorum conditionibus externis quum scite et bene dixerit, ipsam prophetiam reique internam naturam minime aperuisse videtur.

STENGELIUM disputavit, tamen et in eundem errorem ipse incidit — nimirum hic quoque vir doctus continuam quodammodo singulorum vaticiniorum auctoritatem semperque renovatam, licet alia quadam ratione, defendit — et in universa prophetiae notione ac natura definienda vehementius quoque errasse videtur. Nam HOFMANNUS quidem quum quae sit Dei inspirantis cum homine prophetante concordia vera et libera et ethica, sicut HENGSTENBERGIUS, parum intellexerit, ita rem diremit, ut ne esse quidem ullam amborum concordiam diceret, sed vaticinari et Deum et hominem, quorum uterque suas res sentiat, scilicet diversas. Etsi quod judico de viri docti disciplina, mirum quantum abest ab iis, quae ipse promisit, quum scripserit l. c. p. 10: „In Eintracht also mit der Erfahrung dass Er der ewige und er der zeitliche, dass Gott und Mensch in persönlichem Wechselverhältnisse stehen, möchte ich jene lebendige Gegenwärtigkeit Gottes im weissagenden Menschen aufzeigen.“ Quodsi hanc quidem calcem quasi disputando persecutus fuisset, omnino movisset me ut assentirer. at enim quid qua ratione effecerit videamus (cf. l. c. p. 10 sqq. et ea, quae in virum doctum diximus l. Göttingische gel. Anz. l. c. p. 1314 sqq.).

Primum quae sit genuina notio et praedictionis et impletionis („Weissagen, Erfüllen“ p. 12 sq.), etymologica disputatione commonstrat, unde nullum discrimen esse colligit variorum praedicendi generum, quae nos appellamus „Weissagen“ i. e. „Weisung geben,“ „Wahrsagen“ et „Vorhersagen.“ omnia enim ea ita in prophetam cadunt, ut, siquidem propheta non sui ipsius est, sed Dei, Dei scilicet interpres, divina pariter omnium sit auctoritas et veritas [21]), quae quidem eventu (impletione), comprobanda sit. Nam ut futura-

21) „Kurz! der Prophet ist nicht sein eigen, sondern Gottes, Mann Gottes: wie der Menschen untrügliches Auge, so Gottes Mund und Dollmetsch. Ist nun die Weissagung Gottes selbst, so wird sie sich auch als solche darthun. Die Weisung muss sich bestätigen, die Wahrsagung sich bewähren, das Vorhergesagte muss eintreffen.« l. c. p. 14.

rum rerum quaeque praedictio sive praeformatio — scilicet non in verbis solum propheticis sed in rerum quoque historicarum significatione prophetia inest — sic eventus quoque, quo singula praedictionum genera implentur, divinam aperit auctoritatem (Beides, Weissagung und Erfüllung kommt demnach von Gott: er schafft, dass ein späteres in einem frühern vorgebildet, oder zuvor durch Zeichen bedeutet, oder von Menschen vorausgesagt werde; er schafft auch, dass das vorgebildete, vorbedeutete, vorausgesagte eintrifft"). Quodsi in hac quidem doctrina, quae esse possit liberi hominis cum Deo ethica concordia, haudquaquam intelligitur, quoniam nulla prorsus esse videtur hominis potentia, clarius quoque id, quod improbamus, e reliqua viri docti disputatione elucet. Nam quod dixit, prophetam non sui ipsius esse, sed Dei, id jam accuratius definit insequentibus capitibus [22]; vim esse, quam Spiritus, nempe divinus, exerceat in animam hominis, sive esse inspirationem. Et ita quidem vim illam, quam inspiratus homo patiatur, descripsit Hofmannus, ut et propria cujusque hominis natura servetur libera et tamen homo servus fiat divini spiritus, cujus quidem vim sentiat. iterum enim audiamus ipsum Hofmannum in hanc sententiam loquentem: „Wie könnte der Zustand der Propheten denselben Namen führen, als der Wahnsinn (verba intelligas התנבא et δαιμονάω), wenn Inspiration etwas anderes wäre, als Geisteswirkung auf den Menschen in der Un-

22) Cap. III »Geist und Seele.« Cap. IV »Inspiration.« Quum permulta sint in Hofmanni libro, quae admirationem magis meam moveant, quam intelligentiam augeant, velut ea quae p. 70 sq. de maris et feminae conditione tum animali tum plantari somniat et nescio quid prophetiae ibi latere mussitat, tum hoc quoque meum acumen effugit, quod ipsum hominem ut praedicentem sic etiam implentem faciat hisce verbis »Um zu bezeichnen, dass ein Mensch etwas weissage, nicht aus sich selbst, oder eine Weissagung erfülle, nicht von sich selbst, sondern beides kraft göttlicher Lebensäusserung, sagt man wohl auch, der Geist lehre oder treibe ihn.« l. c. p. 17. cf. p. 16 f.

freiheit seiner individuellen Natur? Ist sie aber das, so erledigt sich die Frage nach dem Verhalten des Inspirirten zum inspirirenden Geiste von selbst. Es wird ihm ein Zwang angethan, aber unbeschadet derjenigen Freiheit, welche zum Wesen des Menschen gehört. An der individuellen Natur geschieht jene Wirkung: wie also diese geartet ist, so gebraucht sie der Geist. Getrieben ist der Inspirirte, demnach in leidentlichem Verhalten zum Geiste; aber getrieben in die Thätigkeit, demnach in voller Regsamkeit seiner individuellen Natur" (l. c. p. 27). Itaque vult quidem Hofmannus servari in homine inspirato eam libertatem, quae universae naturae humanae sit propria („unbeschadet derj. Freiheit, welche zum Wesen des Menschen gehört"), perdi eam, quae sit singularis („in der Unfreiheit seiner individuellen Natur"). at vero pugnantia loquitur. hanc enim ipsam singularem hominis inspirati naturam valere ac vigere concedit („in voller Regsamkeit seiner individuellen Natur") et contra Hengstenbergum fortiter defendit. Haec interim res quocunque modo se habet, ea certe principalis Hofmannianae disciplinae sententia est, qua *duplex* ratio ponitur prophetae, ut inspirati hominis, et libertatis cujusdam et impotentiae ac servitutis. Gemina enim illa ratio maxime valet ad aestimanda atque intelligenda omnia praedictionum genera, quae tum in universa historia (Cap. V), tum in Sacris literis (Cap. VI) contineantur et arctissimum Novi Testamenti cum Vetere commercium (Cap. VII) efficiant. Universae enim historiae summa et principium et finis est Jesus Christus, scilicet Deus homo factus, in historia quondam ipse ut homo conspicuus, in historia semper vividus et agens. is enim universam historiam continet atque ad ipsum universa rursus historia spectat, nam quum per tempora, quae ante illum natum acta sunt, semper se manifestasset ac quodammodo praeformasset („sich selbst vorausdarstellen" Hofmanni vocabulum est), postquam ipse in humana vita apparuit, et historiam confecit atque absolvit — ille enim est exeuntis historiae initium („der An-

fang des Endes") — et semper se ita manifestat, ut non solum praeformationes ac praedictiones, quibus ipse antea se venturum manifestaverat, impleantur, sed etiam ut praeformetur iterum ultimus ac certus veras historiae finis, quae est consummatio mundi et christiani regni perfecta victoria gloriaque aeterna [23]. Quam ob rem quum in universa quidem historia, quippe cujus summa sit Christus, et praeformatus et praedictus fuerit Christus, vel semet ipsum potius praeformaverit — haec enim cujusque praedictionis ac praeformationis, quum fit ab homine vel per res humanas, vera notio est — longe accuratissime se futurum esse annunciavit in israelitici populi tum historia, lege, moribus vitaeque institutis omnibus, tum disertis prophetarum vaticiniis.

Sed jam qui sint Hofmanni errores conspicuum esse debet. Primum enim quod vaticinia ipso eventu repeti dicat ac renovari, ut si quid secundum vaticinium ante editum acciderit ipsum illud iterum vaticinii instar ad res futuras spectare videatur — hanc, inquam, sententiam, quoniam eadem fere est, quae quum ab Hengstenbergio defenderetur, et a nobis superiore disputatione et ab ipso Hofmanno refutata satis sit, non est quod accuratius ponderemus. Etsi Hofmanni quidem opinio non eadem ratione sustinetur, qua Hengstenbergii. Nam omnes simul pravae Hofmanni opiniones

23) Die Selbstdarstellung Christi in der Welt ist der wesentliche Inhalt aller Geschichte, nämlich erstens seine Vorausdarstellung im Leben unserer Natur, zweitens, seine Erscheinung im Fleische und Verklärung desselben, drittens die Darstellung seiner verklärten Natur im persönlichen Leben des Christen. Seine Erscheinung im Fleische dient seiner Vorausdarstellung zum Gegenbilde, seiner Darstellung im Leben seiner Gemeinde zum Vorbilde.« l. c. p. 40. Audias quoque quae ibidem dicta sunt, haec: »Demnach geschieht Christi Vorausdarstellung nicht ohne ihn, sondern ist als Selbstdarstellung des zukommenden Christus zu denken; wie alle Darstellung des erschienenen Christus in den Aeusserungen des geistlichen Lebens seiner Gemeinde nichts anderes ist, als Selbstdarstellung des vollendeten durch seinen alle Aeusserungen des Lebens seiner Gemeinde schaffenden Geist.«

ex uno eodemque quasi fonte manarunt, e duplici auctoritate, quam in singulis praedictionibus ac praeformationibus vigere adversante natura statuit. Haec enim caussa est, cur et nobili quadam liberalitate insignis et artificiosissima simul Hofmanniana prophetarum interpretatio esse videatur. Primum enim liberrimi esse dicuntur prophetae. veluti David quum queritur vel gloriatur, per se quidem ipsum liberrimus est judicandus. nam quidquid agit, omnino semet ipsum dicit, suas res agit, certissimis motus conditionibus, quas ex historia recte didicisse vel maxime interpretis interest. Deinde vero, siquidem divinam Spiritus vim patitur, non sui est, sed Dei. Deus igitur per illum, scilicet servum atque impotentem et nolentem et inscium, res praedicit futuras, veluti Messiam. Itaque Davidis oratio, scilicet libera ac simplex ut humana, vaticinia continet nec Davidi cognita nec nobis ex interpretatione historica criticaque percipienda, sed eventu comprobanda et aperienda. scilicet eventu demum *impletur* vaticinium i. e. verum suum ac divinum argumentum et sensum aperte accipit [24]). Vel Eva quum gaudet (Gen. IV, 1), quod primus suus filius sit in lucem editus, a nulla quidem re longius ipsa abest, quam ut Messiam annunciet futurum, attamen in libera illa atque simplicissima Evae oratione aliquod vaticinium latet, nempe divinum, de Messia, qui non sit ex virili semine gignendus (l. c. p. 77). Ita vero nulla omnino prophetia est, quae fiat ab homine. fit enim a Deo per hominem inscium. quam ob rem ne ulla quidem

24) Hätte das Wort nicht etwas wirkliches zum Inhalte, so wäre es leer. Wenn sein Inhalt in die Wirklichkeit tritt, so wird man inne, dass es voll ist, Fülle hat: es erfüllt sich für das Schauen, wie es für den Glauben schon immer voll gewesen. Oder es kann auch so angesehn werden, dass das Wort so lange in der Schwebe bleibt, bis es durch Gewinnung seines wesentlichen Gehalts zu stehen kommt (l. c. p. 14 sq.). Quod in hunc modum lusit Hofmannus taedet me longius castigare. Tu, si ejus disciplinae licentiam et fere temeritatem percipere placeat, legas quae p. 15 scripsit, ubi propheticam vim, quae et in triumphis romanis et in agno paschali fuisse arbitratur, comparavit.

esse potest rei propheticae natura ethica nullaque cognitio. Quod si dixerimus ab HOFMANNO typos solummodo statui propheticos, id eodem jure dicemus quo judicabimus, nullum esse in ejus disciplina typorum locum, omnia videri vaticinia directa et expressa. Nam si humanam reputaveris in praedictionibus ac praeformationibus auctoritatem, vaticinium quidem nullum est, pro typis sunt omnia. contra si alteram respicias auctoritatem, divinam, disertis omnia scatent vaticiniis atque expressis. Certe prophetiae notionem sustulit omnem.

C. DE ALIIS NOSTRAE ÆTATIS VIRIS DOCTIS.

Reliquos vero nostrae aetatis Theologos, quibus quid placeat de re prophetica jam superest ut videamus, in duas potissimum partes discessisse sentio. Sunt enim qui historica maxime arte et critica quum universam rem biblicam tum eam, quam quaerimus, prophetiam ponderent atque illustrent. et hi quidem interpretum potissimum officio functi sunt, veluti DE-WETTIUS (Commentar über die Psalmen. Ed. 3. Heidelb. 1829. Ueber die erbauliche Erklärung der Psalmen. Bas. 1836. p. 12 sqq. 15 sqq. 23 sqq. Einleit. in das A. T. Ed. 5. Berol. 1840. p. 279 sqq. Videas etiam HAGENBACHII de b. de-Wettio (Lips. 1850. Append.) et SCHENKELII (Schaffh. 1849. p. 20 sqq.) libellos), HITZIGIUS (Der Prophet Jesaja. Heidelb. 1833. Die XII kleinen Proph. Lips. 1838. Der Prophet Jeremja. Lips. 1841), EWALDUS (Die Propheten des Alten Bundes. Stuttg. 1840), STAEHELINUS (Die messianischen Weissagungen. Berolin. 1847). sed C. HASIUM quoque (Lehrbuch der evangelischen Dogmatik. Ed. 2. Lips. 1838. p. 201, 209 sqq. 240 sqq.) his viris annumeraverim. Ex altera vero parte theologice [25]) potius ac dogmatice vel apo-

25) Omisi vero J. BECKIUM (Ueber die Entwicklung und Darstellung der messianischen Idee. Hannov. 1835), qui, etsi titulus libri non parvam movet exspectationem, rem tamen perdifficilem nimis leviter tractasse videtur. De KOESTERO quid censeam supra dixi. BAUMGARTENIUM vero et STIERIUM, quorum satis nota sunt opera, ad-

logetice, sicut jussit Schleiermacherus, de prophetiae natura egerunt C. H. Sackius (Christliche Apologetik. Hamb. 1829. p. 205 sqq.), Twestenius (Vorlesungen über die Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche. Ed. 3. Hamb. 1834. I p. 372 sqq.), J. T. Beckius (Die christliche Lehrwissenschaft nach den biblischen Urkunden. Stuttg. 1841. I. p. 357 sqq. 398 sqq.), Umbreitius (Pract. Comment. über d. Proph. des A. Bundes. Hamb. 1846 sqq. T. I—IV), Lückius (Einl. in die Offenb. des Joh. Ed. 2. Bonn. 1848. I. p. 26 sq.), Tholuckius (Kommentar zum Briefe an die Hebr. Ed. 2. Hamb. 1840. Appendices. Videas etiam viri docti commentationem de inspiratione, in l. Deutsche Zeitschr. für christl. Wissensch. u. Leben. Berol. 1850. Apr.), Bleekius (Der Brief an die Hebräer. Berol. 1828 sqq. Cf. L. Theol. Stud. u. Krit. 1835. 2. p. 441 sqq.), Nitzschius (l. c.).

Quodsi hos quidem viros omnes cum superioribus Theologis comparaveris, unam eandemque omnium praestantiam esse percipies. Nam magica quidem et mechanica, si verbo uti liceat, prophetiae verbalisque inspirationis notione prorsus omissa, eam rei naturam omnes simul investigarunt, quae et ethica sit et historica. etsi sua quisque et virtute excellit et opinionum falsitate, ut puto, laborat. Primum enim ii, qui historice potissimum et critice rem egerunt, accuratam quidem et expressam vaticinationis propheticae notionem aut nullam proposuerunt aut eam, quam probare non possimus. Nam singula quidem propheticae virtutis exempla quum egregie non raro exposuissent et humanam naturalemque, quae in ea viguisset, auctoritatem ac leges historicas ingeniose saepe illustrassent — qua in re Ewaldum inprimis non possum non laudare — tamen vim supranaturalem ac divinam, quae in omni prophetia, immo vero in universa Veteris Testamenti oeconomia, conspicitur, quum injuste neglexissent, accidit ut eam

---

vocare dubitavi. doctam enim et expressam de re prophetica disputationem apud illos non inveni, eam inveni disciplinam, quae cum Hengstenbergio et Crusio maxime concinat.

certe, quae cum ipsis prophetis et omnibus testibus biblicis concinat, prophetiae notionem vix effecisse videantur. Sive enim magneticam quandam praesagitionem (cf. Hasium l. c. p. 209) fuisse in prophetis statuunt, sive ingeniosam quandam rerum omnium et ethicarum et politicarum intelligentiam ac praesensionem quodammodo acutam, scilicet legis divinae tum promissionibus tum minis et universa conditione theocratica egregie sustentatam — harum, inquam, rerum omnium, si primam illam exceperis, vel gravissimum esse momentum ad intelligendam prophetiae naturam nemo sane est, qui neget, attamen nisi divinam addideris auctoritatem, non recte profecto rem propheticam definies. ea vero addita, summa nostra quaestio exoritur, quam a viris doctis aut omissam plane — et plerumque id quidem factum est — aut negativis tantum cautionibus, sicut a de-Wettio (l. erbaul. Erklär. d. Ps. p. 12), defensam magis quam explicatam atque apertam esse sentio. Scilicet quibus rebus ethica fiat divini Spiritus cum humano consortio ac libera, quae sint accipiendae inspirationis conditiones ethicae atque historicae, quibus denique caussis ethica prophetiae natura, non magica, non pure naturalis, contineatur, nemo illorum satis docuit. Optime utique Ewaldus: quo nemo eorum virorum doctorum, quos criticos breviter appellaverim, sanius et liberalius et sanctius simul de veteris Testamenti prophetis egisse mihi quidem videtur. Instar omnium fere illorum Ewaldus audiendus est: quae enim ab omnibus rectissime disseri judico, ea nisi ex Ewaldi auctoritate profecta sint, cum illo certe maxime consonant et accuratissime sunt ab illo composita. Hanc enim, quam maxime quaerimus Spiritus divini in homine propheta auctoritatem ethicam, liberam, veram, non magicam, nec violentam aut imaginariam, ita potissimum vir ingeniosus illustrare voluit, ut ejus veritatis ministros fuisse prophetas diceret et praecones, quae semper una sit et aeterna et utique divina. Omnia enim, ait, quae in terrestri hac vita accidunt, coelesti aliqua lege, divinitus sancita, cohibentur ac moderantur. et humanae res

omnes ita tantum aeterna veritate vigent, in humanisque rebus omnibus ita tantum pura, quam dicit, et divina vita, sive Dei spiritus purus conspicitur, si suprema illa lege divina regantur atque agantur. Et hoc quidem prophetarum genuinum opus fuisse dicit, ut ad legem ac veritatem illam divinam, nemini scilicet homini prorsus alienam, res humanas judicaverint omnes. In prophetis enim maxime vigent aeternae ac divinae veritates, viget purus spiritus, qui est divinus. non possunt igitur non eloqui id, quod ipsi intus experti sunt. pura vita, certissima veritas, divinus denique spiritus, quum in ipsis vere vigeat, necesse est ut ad alios quoque docendos et castigandos impellat prophetas. Ita igitur sese sentiunt incitatos prophetae, quasi ab ipso Deo mittantur ad suos cives, ejusdem scilicet theocratiae socios. et recte id quidem. nam divina utique veritas est et pura vita, cujus aeterna luce intus collustrantur, sive purus spiritus est, qui illos ducit. Deum igitur ipsum sentiunt, cujus ipsa est vita et veritas et spiritus. Deum quodammodo contemplantur, a Deo edocentur, parantur, mittuntur, quando pura in illis emergit cogitatio, quae quidem sive in res praesentes adhibetur sive futuras quoque res prospicit, necessitate semper aliqua sustentatur et divina veritate, haec enim vaticinii genuina notio est, ut futura rerum conditio ad certam aliquam veritatem, quae vigeat in prophetis, praesagitione intelligatur et dijudicetur („Jedes Bild über die Zukunft ist aber wesentlich eine Ahnung d. i. ein Versuch und Ringen des schauenden Geistes von einer bestimmten Wahrheit aus sich die Gestaltung der Zukunft bestimmter vorzustellen.“ l. c. I. p. 27).

In cuncta hac viri docti disciplina etsi, uno loco summo excepto, nil fere video, quod improbem, tamen rem, quam quaerimus, difficillimam explicasse mihi haudquaquam videtur. Nam expressam Spiritus divini ac singularem in prophetas auctoritatem posuit nullam. optime quidem disputat de innato divinae veritatis vigore, de aeterna lege, unde omnes simul res humanae pendeant, at vero falso eam ipsam

veritatem et vitam esse Spiritum Dei dixit. Alius est, si ipsis prophetis credideris, Spiritus Dei, alia vita ac veritas, ab illo nata et patefacta. quo certius vero *personalem* intellexeris Deum, Deique Spiritum, qui semet ipsum suamque vitam et veritatem revelaverit prophetis, eo minus ex EWALDO disces, hujus quidem cum homine commercium ethicum ac liberum quale esse potuerit.

Altera vero recentiorum Theologorum pars, quum quae esse debeat prophetiae notio ingeniose haud raro ex ea, quam sibi quisque tum de inspiratione divina tum de universa natura hominis ac facultate ethica informaverat, sententia effecerint atque illustraverint, hoc tamen commisisse eos arbitror, ut, certis historiae exemplis nimium neglectis, etsi quid veri sit simillimum ac maxime probabile, praesertim si universae eorum disciplinae fueris assensus, evicisse quidem satis bene videntur, tamen certam historicae prophetiae et expressam effigiem non ita explicent, ut historica rei genesis et natura appareat. Et mirum sane est in definienda atque aestimanda prophetia quantum SCHLEIERMACHERO debeant viri docti, haud raro, ut puto, ipsi ejus rei inscii. nam quo quisque melius de prophetia egisse videatur, eo similior erit SCHLEIERMACHERI. Ille enim quum in hac potissimum re posuisset veram prophetiae notionem ejusque ab impura divinatione distantiam, quod ethica esset illa i. e. quod ethica posset in ea percipi humanae naturae potentia, peccata scilicet sua miseriamque omnem sentientis et salutem desiderantis ac sperantis, quam ob rem nisi messianam nullam prorsus prophetiam esse visum est — haec inquam SCHLEIERMACHERI sententia quam nostris fuerit probata intelliges, si optimos quosque et accuratissimos, sicut SACKIUM, TWESTENIUM, NITZSCHIUM, comparaveris. SACKIUS enim quum salutem in Christo positam summam esse dicat cujusque orationis divinitus incitatae atque inspiratae, ejus quidem salutis futurae testimonium omne vere propheticum esse judicat. TWESTENIUS vero, qui magnam disserendi cautionem non sine causa adhibuit (l. c. p. 376 sq.), ita omnem suam disputa-

tionem instituit, ut, nisi nulla omnino praeter messianam prophetiam esse videatur, certe messianae solummodo prophetiae naturam explicet, et SCHLEIERMACHERI quidem sententia repetita atque exculta (l. c. p. 375 sq.). Sed in eo quoque, qui optime omnium ac liberalissime SCHLEIERMACHERI auctoritatem secutus est, id quod dicimus percipi possit. NITZSCHIUS enim, quum adversus HENGSTENBERGIUM defendat, divinam *salutis* veritatem summum esse in omni prophetia argumentum et necesse esse hanc ob rem, ut si quis ejusmodi prophetiam edere voluerit, is et suam pravitatem primum ipse sensisset et meliorem conditionem, nempe ethicam, desiderasset [26]), quam cum SCHLEIERMACHERO concinat, conspicuum est. Hac enim ratione, sicut SACHIUS et TWESTENIUS, messianae potissimum prophetiae naturam descripsit. Verum ampliorem etiam idem ille rei notionem esse voluit, ethica illa, quam pro fundamento quasi posuit, ratione, me quidem valde probante, sustentatam. In hanc enim sententiam prophetiae notionem definivit: „Weissagung — ist auf innere Anschauung des göttlichen Rathschlusses gegründete Darstellung der Zukunft des Reiches Gottes, welche immer ausgehend von einem bestimmten Standpuncte der geschichtlichen Gegenwart in mehr oder minder verkürzter Perspective auf die Vollendung der göttlichen Haushaltung hinweiset, und indem sie es eben mit dem Göttlichen in und an der Geschichte zu thun hat, nicht aber mit dem äusserlichen Stoffe, auch die Wirklichkeit nur in den Hauptpuncten characterisirt, in welcher sie vorzugsweise mit der Wahrheit eins wird“ (l. c. p. 88). Haec quidem rei definitio idea mihi egregie placuit, quia mantica ac magica prophetiae notione prorsus sublata ethicam historicamque rei naturam vir ingeniosus

26) Docti Viri haec verba sunt: »Für die göttliche Wahrheit des Heils, die unserer Voraussetzung zufolge den beständigen Inhalt der Weissagung ausmacht, giebt es im natürlichen Menschen nur in dem Grade Anklang und Anschliessung, als er schon zum Bewusstsein seiner schlechten Natürlichkeit und des sich zu seiner Herstellung vermittelnden Gottes gekommen ist.« L. c. p. 91.

strenue defenderit. primum enim quum omnem prophetiam ad regnum Dei pertinere rectissime dixerit, ethicum rei principium ac finem vindicavit. deinde vero ex ea, quam statuit, conditione prophetarum historica certus prophetiae ordo emergit, ut non posse quolibet tempore qualecunque vaticinium edi intelligatur, quoniam singula potius e suis conditionibus secundum certum quendam ordinem historicum, non sicut casu acciderit, proficisci debeant. Verum ne Nitzschius quidem mihi prorsus satisfecit, duas ob caussas, quas Hofmannus quoque indicavit (l. c. p. 6 sq.). Primum enim quoniam certissimae sunt et speciales, quae dicuntur, singularum quoque rerum praedictiones, harum quidem quae ratio sit explicare non recte omisit. etsi enim ejusmodi esse vaticinia non negavit Nitzschius (l. c. p. 90 sq.), tamen qui eorum in viri docti disciplina locus esse possit eo minus intelliges, quo diligentius id, quod de prophetiae natura docuit, perpenderis. deinde vero in hac quoque Nitzschii sententia nimiam quandam Schleiermacheri auctoritatem investigasse mihi videor. Nam ejusmodi quidem res, quas in prophetiam cadere dixit, aut perpaucae solummodo sunt, aut, si subtilius quaesiveris, in una re omnino continentur, in Christi vita. Quam ob rem nisi eam solummodo prophetiam esse dixerit Nitzschius, quae ad Christum spectet futurum ejusque salutem, certe quum hujus potissimum generis naturam definiverit, illustrissimi magistri auctoritatem parum caute, ut puto, secutus, similitier errasse et ipse mihi videtur.

Sed haec quidem de viris doctis disputasse satis sit. jam mihi quidem quid maxime placeat quum dicendum sit, et apertum esse debet, quantum singulis debeam, et non injuste, opinor, in re difficillima benignum expecto lectorum judicium.

ex uno eodemque quasi fonte manarunt, e duplici auctoritate, quam in singulis praedictionibus ac praeformationibus vigere adversante natura statuit. Haec enim caussa est, cur et nobili quadam liberalitate insignis et artificiosissima simul Hofmanniana prophetarum interpretatio esse videatur. Primum enim liberrimi esse dicuntur prophetae. veluti David quum queritur vel gloriatur, per se quidem ipsum liberrimus est judicandus. nam quidquid agit, omnino semet ipsum dicit, suas res agit, certissimis motus conditionibus, quas ex historia recte didicisse vel maxime interpretis interest. Deinde vero, siquidem divinam Spiritus vim patitur, non sui est, sed Dei. Deus igitur per illum, scilicet servum atque impotentem et nolentem et inscium, res praedicit futuras, veluti Messiam. Itaque Davidis oratio, scilicet libera ac simplex ut humana, vaticinia continet nec Davidi cognita nec nobis ex interpretatione historica criticaque percipienda, sed eventu comprobanda et aperienda. scilicet eventu demum *impletur* vaticinium i. e. verum suum ac divinum argumentum et sensum aperte accipit [24]. Vel Eva quum gaudet (Gen. IV, 1), quod primus suus filius sit in lucem editus, a nulla quidem re longius ipsa abest, quam ut Messiam annunciet futurum, attamen in libera illa atque simplicissima Evae oratione aliquod vaticinium latet, nempe divinum, de Messia, qui non sit ex virili semine gignendus (l. c. p. 77). Ita vero nulla omnino prophetia est, quae fiat ab homine. fit enim a Deo per hominem inscium. quam ob rem ne ulla quidem

24) Hätte das Wort nicht etwas wirkliches zum Inhalte, so wäre es leer. Wenn sein Inhalt in die Wirklichkeit tritt, so wird man inne, dass es voll ist, Fülle hat: es erfüllt sich für das Schauen, wie es für den Glauben schon immer voll gewesen. Oder es kann auch so angesehn werden, dass das Wort so lange in der Schwebe bleibt, bis es durch Gewinnung seines wesentlichen Gehalts zu stehen kommt (l. c. p. 14 sq.). Quod in hunc modum lusit Hofmannus taedet me longius castigare. Tu, si ejus disciplinae licentiam et fere temeritatem percipere placeat, legas quae p. 15 scripsit, ubi propheticam vim, quae et in triumphis romanis et in agno paschali fuisse arbitratur, comparavit.

tur, non typi, in quo divinam solummodo judico vigere auctoritatem, homini quidem obscuram. Etenim prophetae, quum pravissimam civium vitam incusarent, quum dirum aliquod Dei judicium, sceleribus populi provocatum, annunciarent, quum exsilium quoque, quo propius aberat illud eo disertius, nominibus quoque appositis, indicarent, num tu hasce res omnes parum intellectas ab ipsis prophetis fuisse suspicaris? Quid? Joel, Jesaja, Micha, alii, quum pagani quoque praedicant fore ut ad verum unius Dei cultum, abjectis idolis, sese convertant, num tibi videntur ipsi parum intellexisse laetissimas hasce promissiones, quibus cives suos erigebant, Abrahamo jam datas, immo ita necessarias ipsas, si verus Deus et unicus vere se patefecerat populo? Scilicet verissima illa esse debebat spes ac lucidissima, ipsi theocratiae, ut verae ac perfectae religionis foederi, insita atque innata, apologetica, ut dixerim, necessitate semper vigens. Atque etiam in specialissimo Michae vaticinio (Mich. V, 1 sqq.) etsi temperamentum typicum bene sentio, quod suo loco, ut potero, illustrabo, certissime tamen ipsum oppidum, unde Messias sit oriturus, propheta intellexit ac vaticinio designavit. Sed haec quidem hoc loco de prophetiae notione disputasse satis sit. jam enim conspicuum esse potest, ab illa quantum distet typus. Agni paschalis sanctam caerimoniam quum jubente Deo institueret Moses, etsi propheta Dei sine dubio erat ornatissimus ipse et venturi quoque majoris semet ipso prophetae praenuncius propheticus non typicus (Deut. XVIII, 15 sqq.), nil certe minus habuit in mente sua, quam expressum aliquod ac disertum futuri Jesu Christi, veri scilicet agni et aeterni quidem, vaticinium. In ea igitur re prophetia quidem, stricte dicta, nulla est, typus est propheticus, et utique divinus. Ita enim rem intelligere cogit nos Novi Testamenti sancta atque certissima auctoritas. Porro in Noachico diluvio quae esse dicitur a Petro (1 Petr. III, 20 sqq.) significatio baptismatis, ea typica est, ex antitypo demum intelligenda, non prophetica, quoniam antequam antitypus fuerit appositus, nemini vero

typi perspicua esse potuit auctoritas. Similiter judico de serpentis effigie in deserto a Mose salvationis caussa exaltata, cujus quidem rei nisi ipse Christus aperuisset significationem typicam (Joh. III, 14), haud melius sane quisquam eam intellexisset, quam typicum orationis propheticae sensum (Sach. IX, 9), tum demum apostolis apertum, quum Christus ipse antitypi instar exstitisset (Joh. XII, 15. 16.). Etenim non in rebus solum, ut ex Dei dispositione aguntur, typi sunt, in verbis quoque sunt hominum non sine Deo editis. Veluti Cajaphas rectissime dicitur a Joanne (XI, 50 sq.) prophetasse de futura Jesu Christi nece, scilicet typice, non prophetico, si accuratius prophetiam intelligas, aut expresso aliquo vaticinio. Ipse enim homo, quoniam Messiam esse negabat Jesum Christum, ne potuit quidem ejus *prophetiae* esse minister, ut pro salute populi Christum mortem passurum esse praediceret. hoc enim si intellexisset, hac spe theocratica si ipse erexisset se primum, deinde, ut propheta, cives: primus ipse, baptistae similis, ad Christi pedes necessario confugisset. At vero non ita sceleratus sacerdos. tamen quum verba ederet, maxime sua et sui similia, Dei simul mentem inscius scilicet ipse ac nolens aperiebat voce typica. In qua re nil sane est, quod nimium admireris. quid enim? nonne res omnes atque etiam verba hominum omnia et scit Deus et disponit? Loquebatur, opinor, sacerdos, vim passus Dei nullam prorsus. liberrimus ipse, atque in suum judicium efferebat id, quod impie volebat, verum ita simul hominis sonabant verba, ut Deus ordinaverat. Merum igitur video in illa oratione typum. Et similiter sentio de sancta Sacharjae oratione (XI, 12 sqq. cf. Matth. XXVII, 9 sq.). Nam sive symbolicam solummodo esse judicas historiam de XXX siclis narratam, sive revera accepisse tibi videtur propheta grandem istam, quam ironice laudat, mercedem, certe de semet ipso, non de futuro Messia, tanquam vero atque aeterno populi pastore, sua verba facit. Haec enim genuina loci interpretatio esse debet. Tamen evangelista quum Judae impietatem ita accidisse judicet, ut in

hanc quidem rem propheticae orationis auctoritatem advocet, errasse mihi quidem neutiquam videtur, etsi erravit, ut puto, in nominando Jeremja. Sed nomen quidem prophetae nec ille ex inspiratione, nec nos ex evangelista debemus discere. scriptus enim liber est in manibus, discitur vero a Deo et historiae cursum universum moderante et mentem evangelistae illustrante, typicum narrationis propheticae cum Jesu Christi historia commercium. Nimirum ita locutus fuisse jam apparet propheta, ut ipse quidem suis verbis semet ipsum diceret eamque, quam ipse expertus fuerat, populi impietatem, sed in verbis istis hominis, divino spiritu ducti, inest simul divina aliqua significatio, quae, quoniam ipsi prophetae abscondita plane erat, neque vero ante antitypum re acta oppositum cuiquam non obscura, typica recte appellatur, non prophetica, stricte dicta, non vaticinium propheticum et expressum. Porro divinae cujusdam in typicis verbis significationis tria simul legis exempla apud Matthaeum (II, 15. 17 sq. 23). Nam quod Hosea (XI, 1. cf. Exod. IV, 22. Deut. XXXII, 18), ut impiis suae aetatis civibus antiqua Dei beneficia proponeret, ex Aegypto dixerit a Deo olim filium suum dilectum, universum scilicet populum theocraticum, fuisse eductum, porro Rahel, mater quodammodo populi sancti, quod apud Jeremjam (XXXI, 15) lamentet de filiorum tristi interitu, denique ipse Messias quod ita appellatus sit a prophetis (Jes. XI, 1 נצר), ut in nominis quoque illius sono lateat aliqua ejus oppidi, in quo habitaturus erat, Nazarethi, similitudo, haud ita dispar ejus vocis, quam Paulus allegorice explicat (Gal. IV, 25) — in hisce rebus, inquam, omnibus quum sensum aliquem divinum et certum Dei consilium reconditum fuisse dicat evangelista (ἵνα πληρωθῇ. v. 15. τότε πληρώθη. v. 17. ὅπως ἐπληρωθῇ v. 23), non errasse sanctum Dei nuncium judico, neque admirabili aliqua judaica licentia usum fuisse, sed typicem verborum propheticorum auctoritatem divinumque eum, qui in illis latuerit, sensum rectissime intellexisse ex ipsius Dei lumine evangelista mihi quidem videtur. Scilicet quae in

locis illis propheticis praeter simplicem singularum orationum ac certissimam sententiam divina est significatio, ea mere est typica, neque vero non verissima. quae quoniam in verbis hominis prophetae ita delitescit, ut nil ejus rei ipse sentiat, prophetica non est, legibus ac conditionibus ethicis atque historicis, quomodo in prophetae animo efficiatur divinitus ac nascatur, illustrari nequit. solummodo ex divina mente, antitypo patefacta, percipitur, quoniam ita scilicet verba prophetarum, in hac quidem re vere liberorum, disposuit Deus, utpote qui universas res vel minimas, hominum non exstincta libertate, solet disponere, ut divina quoque illa in verbis propheticis, contineretur significatio, quam sine suo errore post aperuit evangelista. Hisce vero typicae orationis exemplis unum adhuc adjiciam, priusquam ex omni hac disputatione typorum naturam ac conditiones colligam, locum dico supra ex Sacharjae libro (IX, 9.) primum advocatum. In quo loco eo certius typi quidem notio quantum distet ab expresso vaticinio percipies, quo apertius sententia vere prophetica in oratione typica continetur. nam id quidem vaticinium est prophetae, quod dicit de futuro sacri populi rege regisque et majestate et humilitate. et hoc quidem vaticinium sine dubio messianum ejus spei vestigium est, cujus testes Jesaja, Micha alii plures et omnes simul sunt prophetae, immo vero hanc quidem spem quum in omni populi Israelitici theocratia, tum in universa Veteris Testamenti prophetia necessario viguisse, ut accuratius postea dicam, existimo. Certissime igitur et intellexit propheta et praedixit futurum Zionis regem, defensorem, servatorem fortissimum simul et mitissimum. cujus humilitatem pacatumque regnum quum suavi illa, qua utitur, imagine asinae regem in suam civitatem advehentis describeret, ignoravit, mihi crede, propheta fore ut hoc ipso modo Jesus Christus intraret sanctam urbem, typica vero oratione ea usus est, in qua Deus suam mentem indicaret. Quamobrem, quoniam in verbis quidem prophetae, praeter vaticinium illud de rege et pacis restitutore editum, typica quoque volente Deo inerat

futurae rei significatio, necessum quidem erat (Matth. XXI, 4 ἵνα πληρ.), ut concordaret cum typo antitypus, verum antequam adfuisset ipse antitypus, imo vero antequam Spiritus quoque Domini glorificatione emissus (Joh. XII, 16. coll. VII, 39) rem discipulis obscuram patefecisset, nemo sane divinam, quae in prophetae oratione latuerat, significationem intelligere potuit. Et in hac quidem Sacharjae interpretatione mirum quantum ecclesiae nostrae adjuvari me sentio auctoritate. ea enim nisi forte inaniter lusisse tibi videatur, quod duobus simul diebus recitari jusserit evangelium ex Matth. XXI, 1 sqq. sumtum, de vaticinii et forma typica et prophetico argumento rectissime judicasse debet.

Et haec quidem omnia exempla sunt rei typicae pura. exstant ejusmodi quoque typi, quos mixtos dixerim, quia ex ipso typo emergere solent propheticae virtutis incrementa et vaticiniorum caussae. Veluti virgo illa celeberrima a Jesaja dicta (Jes. VII, 14 sqq.) typica quidem est, tamen inest in virgine illa atque in filio ab illa edendo ea auctoritas divina, non typica solum, quae ipsius prophetae mentem clarius quoque illustret atque in propheticam typi intelligentiam aliquantum evehat. Porro Davidis personam ac regnum et Salomonis nemo nescit typica aliqua viguisse in prophetas auctoritate. Sed in hisce exemplis plus quoque inest, quam merus typus. Hoc igitur loco dicendum primum est, quid de meris ac genuinis typis ex scriptura sacra didicisse mihi videar. jam enim hujus rei exempla satis sunt illustrata.

Typi igitur, sive reales sunt sive verbales, divina solummodo efficiuntur auctoritate, cujus quidem quae sit cum homine propheta communio ethica ne potest quidem inquiri. nil enim ad typos edendos valet hominis intellectus aut voluntas aut industria. Primum enim in rebus actis et moribus divinitus institutis si qua est typica futurarum rerum similium, at perfectarum, significatio, haec latere debet homines eos, quorum aetate primum formatur atque ordinatur typus. Deinde vero quum in verbis quoque hominum propheticis praeter eum, quem homines intelligunt et volunt dicere sen-

tum delitescit aliqua typica Dei significatio, necesse quidem est, ut prophetica illa hominis non sine Deo edita oratio quomodo nascatur in homine, certe quae sit in hac quidem oratione prophetica divini Spiritus cum hominis mente ac voluntate ethica consortio, appareat quodammodo. at vero quantum typica est oratio prophetae, quantum igitur ipsius hominis intellectum ac voluntatem fugit ac superat id, quod non exstincta quidem sua libertate ex Dei tamen mente loquitur, tantum obscura esse debet, immo vero nulla esse debet ethicae rationis descriptio. nam nulla prorsus est hominis in praeformando atque edendo typo auctoritas, nullum igitur, quod investigari possit, hominis cum Deo in hac quidem re commercium ethicum. Scilicet specialissima, quam vocant, providentia sua vivus Deus universas simul singulasque res omnes curat et disponit et regit. sicut igitur in certis rebus, quae quidem non exstincta hominum libertate ethica aguntur ita omnes, ut ipsi visum est, ponit Deus aliquam suae mentis adumbrationem futurarumque rerum, quas vult ad typos ante editos effingere instar antitypornm, praesentem aliquam imaginem: sic in verbis quoque hominum, Deo non ignotis immo vero sine Deo nunquam enunciatis, vult non raro Deus inesse aliquam futurae rei prolusionem typicam. Hanc vero puram ac genuinam veri typi notionem quo rectius e sacro codice promisisse mihi videor, eo certius, ut puto, haeco tu probabis rei typicae leges. Primum enim conspicuum esse debet, quid caussae sit, cur ante editum antitypum typi quidem nulla esse possit intelligentia. scilicet aperta demum Dei mente ea, quam ipse typice antea indicaverat, ut ex antitypo quidem cognoscitur typica similitudo, sic typica rursus illa imagine comprobatur ac confirmatur antitypi divina veritas, quoniam admirabilis ea et sanctissima, quae jam elucet, utriusque rei consimilitas Deum docet esse et typi et antitypi auctorem. Quodsi ita se res habet, jam altera lex apparet et cautio quaedam. Quae enim res antitypica ad quem typum, ut vere suum, respicit, nemo potest habere compertum nisi is, quem ipse

Deus, et typi scilicet et antitypi auctor, docuerit. Itaque quo certius ipsius Jesu Christi et apostolorum omnium venerror in hac re auctoritatem perfectam, eo facilius contemno eorum licentiam, qui Barnabae insulsam artem (Barn. Ep. VII sqq.) secuti, prout ipsis libuerit, christianarum rerum typicas imagines inquisiverunt. Latent fortasse in Veteris Testamenti universa oeconomia christianae rei typi innumerabiles, a Novi Testamenti scriptoribus non explicati, fortasse non latent. nescio. neque vero id magnopere curo, quoniam mihi quidem satis erit pia mente percepisse ea, quae a Christo ejusque nunciis aperiuntur. non nescio, vitam mihi esse parum longam ad ea, quae certissime adsunt, intelligenda omnia.

Sed ex his rebus ita disputatis una adhuc proficiscitur typica lex haudquaquam praetermittenda. etenim quum Dei aliquod mysterium semper lateat in singulis typis, quod antitypo demum patefacto aperiatur, quamobrem ante effectum atque comparatum antitypum nulla esse potest typi apud homines intelligentia, consequens esse necessario debet, ut prophetae quoque veteres, etsi arctissimo inter sese nexu cohaerent et semper alius ab alio discere, ut videbimus, solent, ex typis tamen nil prorsus ipsi discere possint, sive in rebus ac factis sive in verbis quoque priorum prophetarum typica inest significatio. Nullum tu habes apud prophetas, quum de futuro Messia ejusque nece salutifera vaticinantur, serpentis Mosaicae usum. nulla esse potest in prophetis Noachici diluvii ea recordatio, ut ex hac quidem re typica futurae salutis institutionem antitypicam describere possint. et typicae quidem illius de XXX siclis narrationis, quae in Sacharjae libro scripta est, ut apud prophetas deinceps ortos nullum esse potuit vestigium, sic sacerdotum quoque et scribarum fugit typus ille intellectum, quum Christum ipso illo pretio emerent, quamvis ex vaticinio Michae, non typica oratione, probe scirent oppidum, in quo Messias deberet nasci. Similiter typicae quoque illius virginis a Jesaja dictae nulla sine dubio mentio posset esse facta (Mich. V, 2), nisi in

ipsius Jesajae auctoritate ad typum illum prophetica quoque intelligentia accessisset atque ex typica illa oratione vaticinium vere propheticum succrevisset. Respicere vero solent prophetae et ad res ante actas, sive Dei in populum collata antiquitus beneficia sive supplicia de peccatoribus sumta, et ad superiorum prophetarum vaticinia, immo discere ex utraque parte debent. verum cave, ne expressa haecce et diserta vaticinia confundas cum typicis orationibus aut exempla illa a Deo palam proposita cum typicarum rerum subobscura notione compares. Veluti quod Deus populum suum ex Aegypto feliciter productum, deletis hostibus, in deserto sustentavit et in beata terra collocavit, vel quod dira sua supplicia in Sodomam Gomorrhamque infudit, vel quod septentrionale regnum diruit, in his quidem rebus omnibus quum exempla contineantur divini regiminis lucidissima, typica tamen, quae proprie dicatur, vis inest nulla. Eae enim res omnes, quum typicae quidem prolusiones gemina quadam necessitate cum singulis rebus futuris, ut antitypis, conjungantur, in semet ipsis perfectae potius sunt atque absolutae, adeoque clarissima divinae gubernationis exempla, nemini non perspicua, ut populum quoque universum haud raro jubeant prophetae ex hisce ipsis exemplis, quid sibimet ipsis evenire debeat (Jer. III, 6—10. Jes. I, 10. Am. IX, 7. IV, 11. al.), intelligere. Ejusmodi igitur divinarum legum divinaeque providentiae exempla apertissima quoniam vaticiniorum vere propheticorum et materiem non raro et formam certe suppeditant, accuratius deinceps illustranda nobis sunt, ut ethica prophetiae adjumenta ac caussae.

CAP. II. DE PROPHETICAE VIRTUTIS CONDITIONIBUS ETHICIS ET HISTORICIS.

A. DE CONDITIONIBUS PROPHETARUM OMNIUM COMMUNIBUS.

Et typorum quidem a vaticiniis eaque virtute universa, quae recte ac proprie appellatur prophetica, quae esse mihi

videatur distantia typorumque natura genuina, illustratum superiore disputatione satis esse arbitror. jam in prophetiis, non typicis, quas vigere judicem leges ethicas atque historicas dicendum est. Eam enim quaero rei propheticae, ut saepe dixi, imprimis vaticiniorum, sive generalium sive messianorum, notionem, quae ethica esse debet propter ipsam eam, quam summopere defendo, auctoritatem divinam, nempe sanctissimam atque ordinatam, non fortuitam aut magicam. Qui enim esse potest effectus aut fructus propheticae excellentiae ethicus, si ipsa rei propheticae natura non sit ethica? Quod si ita sunt propheticae virtutis documenta omnia volente Deo edita, ut sacri populi verissima et constantissima vita augeretur, castigaretur, bearetur, necesse est, opinor, ut non cives solum theocratiae universi, sed prophetae quoque, utpote qui essent interpretes Dei, ethica ratione perciperent Dei eloquia, per ipsos enunciata (Deut. XVIII, 18. Ezech. XXXIII, 2 sqq. 7). Itaque ut in iis, qui prophetarum orationes, divinitus inditas ac confirmatas, suis auribus excipiebant, inesse necessario debebant certae aliquae conditiones historicae atque ethicae, ut perciperent, certe possent, nisi noluerint impii, percipere atque in suam salutem adhibere id, quod Deo jubente praedicabant prophetae: sic ipsi Dei nuncii ita dispositum animum ac temperatum singuli habere necessario debebant, ut Dei sonantem intus vocem excipere, exceptamque civibus suis tradere possent. Eas igitur in prophetis conditiones, temperationes, leges historicas, ethicas, humanas, nempe divinae, quae in illis vigent, auctoritati minime adversas, si intelligere aliquantulum atque illustrare ex scriptura sacra contigerit mihi, spero fore ut eo certior inde divinorum sacramentorum veneratio emanet. Scilicet non ita equidem scribo, id quod satis dici non potest, quasi ipse meis oculis conspexerim, quid quomodo sanctus Dei Spiritus in intimo humani animi recessu efficiat (Joh. III, 8). non tam Dei volo intelligere efficientiam, quam hominum, qui quidem Dei experiuntur auxilium, ethicam conditionem, unde ethica inspirationis propheticae natura et hu-

manae mentis cum divina auctoritate in prophetis concordia eluceat.

Sed duo simul conditionum earum, quas dico, ethicarum atque historicarum genera investigasse in re Veteris Testamenti prophetica mihi videor: commune quoddam prophetarum omnium primum, alterum in singulis singulariter conspicuum. Quod quidem genus utrumque jamjam describam, ut potero, atque exemplis illustrabo. Et prioris quidem generis conditiones geminae iterum sunt, una, quae in communi hominum omnium natura ethica, ut a Deo primum creata est atque adornata, versari mihi videtur, altera, quam in foedus solummodo theocraticum et expressum ac singulare ex isto foedere profectum Dei hominumque commercium cadere judico. Altero vero hoc loco quum plures simul conditiones ac leges ethicae contineantur, prior illa conditio universalis et naturalis, quam dixerim, una solummodo esse debet, et ita quidem generalissima haec, quam quaero, ac naturalis conditio latet semper ac viget in omnibus iis, quae in theocraticum potius cadunt commercium, ut ipsa vitae theocraticae institutio, foederisque divinitus facti gentis non naturalis ad naturalem certe hominum conditionem accesserit eamque illustraverit ac sanctificaverit ratione ethica. —

a. DE UNIVERSAE HUMANITATIS CONDITIONE ETHICA. —

Sed primae ejus, quam inquirimus, conditionis generalis maxime ac naturalis, quum una esse ipsa debeat, unum exstat in sacro codice exemplum — nec esse possunt plura — ita vero comparatum, ut ipsius simul religionis et rei propheticae universae, ut quae nascatur ex religionis fundamento, et vaticiniorum messianorum omnium, in quibus flores quasi sunt rei propheticae universae, radicem quodammodo vegetam commonstret. nempe eam intelligo radicem, quam Deus, inquam, Deus in homine plantaverit, non ipse homo nescio unde sibi comparaverit, aut quae fortuito in genere humano, e simiolorum fortasse virtute haud ita contemnenda, ut nonnullis videtur, et in humanam excellentiam provecta, pullu-

laverit. Dico vero protevangelium (Gen. III, 15). qui locus, etiamsi omnem illam de primorum parentum in paradiso felicitate et tentatione ac lapsu narrationem (II, 4 — III, 24) sive mythice sive allegorice quoque, non historice intelligere volueris, ita certe, ut sonat, comparatus est, ut per semet ipsum aperiat id, quod maxime in re prophetica quaerimus. Atque etiam id in hac caussa non ita magni facio, quod summopere disputant viri docti, a qua manu scriptoris verba illa fuerint composita. Ut leguntur scripta satis valent. Nam ut minima sit loci (c. III) auctoritas, certe displicere sano lectori debet interpretatio ea, quam, quasi recentissimae philosophiae feliciter demum obtigisset ἐμπαίον istud, jactari video [27]). scilicet non progressum humani generis ex naturali saevitia ac rudi immanitate ad laudiorem humanitatem ac divinam quamdam libertatem mythus docet, sed lapsum sine dubio atque tristissimam ex lapsu profectam miseriam sive mythus sive historia describit. At vero quod in desperatum fere casum medicina quoque adhibita sit, quod deperditi lapsu paradisi tristissima recordatio temperetur simul laetissima recuperandae salutis exspectatione (III, 15), in hac ipsa re expressum sentio contineri vestigium humanae ejus nobilitatis, nempe a Deo creatore institutae, quae principalis esse debeat ac generalis tum religionis tum prophetiae universae conditio ethica. A parte enim humana vigere judico in protevangelii promissione celebertimum illud Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, quod ex Graeci cujusdam poetae virtute ortum apostolus non dubitavit laudare divinaque sua confirmare auctoritate (Act. XVII, 28). Quid enim? Nonne tu scis, humana utique ratione quid valeant similes eae, quae sunt apud poetas, et aureae aetatis, in rerum primordiis infeliciter deperditae, recordationes amarae et dulcissimae simul futurae cujusdam restaurationis exspectationes? Veluti Plato quidem, incredibiliter a Patribus laudatus, nonne ita

27) A. Tuchio (Kommentar über die Genesis. Hal. 1838), qui approbavit atque excoluit viri docti v. Bohlii sententiam.

hysicum eum, quem sibi rerum omnium effinxit, ordinem temperavit legibus ethicis, ut illustraret primum harmoniam, divinitus compositam, turbatam ab hominibus, deinde restitutum eam iri pulcherrime promitteret? Atque etiam Parsorum sacri libri, ut nemo facile nescit, quum desperata ea, quae est in omni dualismo, disciplina bonum a malo dirimant, certe testes sunt humanae illius nobilitatis, maxime ethicae, quae debeat efficere, ut quid bonum sit aut malum percipiat ac dijudicet conscientia (Rom. II, 14 sq.). At vero hisce rebus ita disputatis omnibus quid mihi velim, quaeris. facile enim tibi videor hujusmodi exemplis aequiparare sanctam illam ac divinam, non naturalem tantum protevangelii auctoritatem. Non ego, crede mihi. Sed illustrare volui, quae mihi fuisse videatur hominis conditio ethica, ad quam non magice, sed ethice accedere potuerit divina promissio. Etenim ut expressa illa divina, non naturalis, non humana, lex primum parentibus data (II, 16 sq.) percipi hanc tantum ob caussam et observari aut contemni poterat ab illis, quia ethica antea natura, potissimum conscientia, adornati fuerant, sic fracta lege Dei vocem exaudire haudquaquam potuissent, neque judicantis illam et damnantis, neque meliora promittentis futuramque salvationem aperientis, nisi ipsi in sese materiem, ut ita dicam, ethicam habuissent, a Deo scilicet insitam, quae divinae voci extrinsecus sonanti intus concordaret ac responderet. Ea igitur, qua et tristis amissae innocentiae felicitatisque recordatio et laetissima futurae reparationis expectatio continetur, inter paganos conspicua, summa universa, in sancto illo specialis revelationis exemplo primo instar conditionis solummodo est, ad quam ethica accedat Dei auctoritas, non qua efficiatur aut perficiatur plenus ipsius prophetiae sensus aut finis. Habes igitur in edito vaticinio utriusque simul auctoritatis, et divinae et humanae, efficientiam consonam, non magicam, sed ethicam. Latet enim in principali illo universae rei propheticae exemplo, ea veritas, quam suo more Nitzschius dicit unam esse eandemque realitatem. latet vero vis ea ethica, quam audacius laudavit Schleier-

MACHERUS adeo, ut in cujusque hominis natura eandem inesse defenderet veritatis propheticae materiem. At vero humana solummodo ac naturalis haec quidem caussa est, quae, nisi collustraverit eam, ipsam quidem primum a Deo compositam, accedens nova Dei revelatio specialis, nil certe potest ex suo penu proferre, quod prophetico nomine dignum prophetica auctoritate vigeat aut pagana ista exempla, modo dicta, revera superet. Sed quo diligentius perpenderis singulos sacrae narrationis locos, legem a praesente Deo vivo sancitam, ab homine acceptam, ac violatam, tentationis modum, lapsus effectum, paradisum occlusum, Dei colloquium negatum, hominis conscientiam perterrefactam, naturam quoque rerum externarum miseria afflictam, viri feminaeque damnationem et promissam simul victoriam futuramque salutem, quas res omnes nolo hoc quidem tempore ut interpres explicare: eo, inquam, certius intelligere debes, quae sit in illis et humanae conditionis veritas et divinae inspirationis cum humana natura in prophetico effectu concordia ethica.

b. DE CONDITIONIBUS EX FOEDERE DEI CUM HOMINIBUS FACTO ATQUE EX THEOCRATICAE VITAE COMMUNIONE PROFECTIS.

Haec interim, quam modo illustravi, conditio ethica universae humanitatis maxime communis, nempe humani generis cum Deo cognatio divinitus facta, et primum illud, quod inde profluere debet futurae salutis ac victoriae vestigium, instar fundamenti iterum est, quo et certiores deinceps ac specialiores Dei revelationes et vaticinia omnia, potissimum messiana, sustineantur ethice. Exemplo, si tibi placet, breviter nunc indicato, quid mihi velim, dicam. Foedus fecit Deus cum uno populo, quem sibi ex omnibus elegerat, eique populo certissime et clarissime promisit futuram non salutem modo sed etiam salvatorem adventurum. quid? electione unius gentis facta ac promissionibus in illa editis num everti poterat id, quod universo hominum generi primum Deus spei confirmaverat? immo vero ita solummodo vera atque

perfecta religio esse poterat ea, quam Israelitica gens habebat a Deo sibi concreditam, si omnes simul in theocratiam adhibendi erant populi, et ita solummodo specialissima quaeque futuri Messiae annuncatio divina vigebat veritate, si universo orbi Messias salutem afferre debebat. ad eum enim modum quoniam Deus ipse primum humani generis nobilitatem formaverat, ut universi simul homines restaurandam Dei communionem recuperandamque, et ita dicam, patriam exspectarent, ea sola poterat esse religio vera, quae innato quodam suo temperamento universum hominum genus amplecteretur efficeretque id, quod protevangelio edito promiserat omnibus Deus, humanae naturae, scilicet ethicae, maxime consonans. Itaque foederis institutio ac religio in foedere posita ut in semet ipsa necessario continebat certissimum suae vitae, et sempiternae quidem illius, testimonium, sic innatam quoque ex altera parte atque insitam habere debebat ejus spei materiem, naturalem humanamque pariter ac divinam et supernaturalem, certe ethicam, qua paganis quoque vitae, veritatis, regni divini aditus aperiretur. quaecumque igitur in utramque sententiam a prophetis, divinitus incitatis, edebantur vaticinia, etiamsi specialissima, ut Mich. IV. V., ea omnia, quoniam ad humanas quasdam atque ethicas conditiones se applicabat divina auctoritas, et intelligebantur ab ipsis prophetis et in populi foederati vitam recipiebantur ethice non magice.

Sed omissis nunc quidem exemplis, quae repetenda postea atque accuratius illustranda sunt, ad eas conditiones investigandas pergamus, quae in re prophetica ex foedere Dei cum suo populo profecta contineri videntur. Quarum quidem tria, si quid video, sunt genera. Primum enim per semet ipsam ita comparata est veritas a Deo in foedere posita atque in theocratico populo patefacta, ut gignat quodammodo ex intima sua natura vaticinia prophetica, accedente scilicet in prophetis auctoritate divina. Deinde vero historiam advoco in explicandam singulorum vaticiniorum originem naturamque ethicam. id dico, quod et populus

universus et cum populo prophetae experti erant inde ab antiquis temporibus. Nempe ita Deus rebus actis omnibus, beneficiis in populum collatis, supplicis saepe sumtis, foederis leges veritatemque suarum revelationum tamdiu comprobavit, ut in futurum quoque tempus quid exspectare deberet populus, sive boni sive mali, discere semper adjuvante Spiritu Dei prophetae ex antiquiore vitae theocraticae historia atque etiam ex praesenti rerum statu colligere possent deberentque id, quod illustrati a divino Spiritu atque incitati civibus suis ut Dei eloquia interpretarentur prophetice. In hoc igitur loco altero non exempla solummodo divinae gubernationis, nemini non conspicua quid valeant in re prophetica excolenda et in vaticiniis edendis, ut Sodomitarum eversio, ut Pharaonis cum exercitu suo interitus, ut Samaritani regni oppidique excidium, dicendum est, sed etiam de typis illis, non paris, qui supra commemorati sunt, disserendum est, qui ansam quandam et materiem orationum propheticarum, ut Davides et Salomo, praebuerunt. Tertium denique virtutis propheticae augmentum ac subsidium ethicum et historicum in hac re inesse arbitror, quod ex orationibus quoque antecedentium prophetarum discant posteriores. neque enim haec mihi esse videtur regula revelationum divinarum inordinata et fere prodiga, si ita dixerim, ut singulis semper quasi nova res aut integra aperiatur id, quod in communem vitae theocraticae commercium dudum Deus suppeditaverit, sed ita potius castum revelationum divinarum ordinem intelligo, ut excolatur continue habere ac perficiatur divina veritas semel patefacta et in populi vitam immissa, tanquam haereditarius thesaurus, a parentibus fideliter posteris traditus et qui augescat semper et lautior fiat, quo diutius comprobetur vita atque illustretur orationibus. His vero res omnes, quibuscum communem quoque illam humanae naturae nobilitatem Deique cognationem conjungas, in protevangelio, ut dixi, conspicuam, cave ita intelligas, quasi in singulis excellentiae propheticae exemplis inque singulis vaticiniis singulae tantum conditiones vigerent, modo haec,

modo illa, immo vero interna aliqua necessitate omnes copulatae sunt. Neque vero aliter describi possunt aut ponderari. Ipsa enim foederis religionisque theocraticae institutio ut annexa est ethice atque apposita organice ad prolepticam eam, quam egregie dixit, secutus veteres, Melanchthon (in Rom. 1, 20. Opp. T. III. Wittenb. 1563. p. 937. Cf. Nitzsch. l. c. p. 12. 14.) humanaeque naturae innatam Dei notitiam, sic eae, quas ex foedere facto proficisci arbitror, conditiones rei propheticae omnes non possunt intelligi nisi cum unaquaque comparaveris reliquas. Unum enim idemque semper est foedus theocraticum. una moderatur lege divina et aeterna. sive igitur naturam ipsam respicis veritatis a Deo in foederis communione collocatae, sive id quod experti sunt theocratiae cives, sive id quod ex antecedentium prophetarum labore divino sumere solent subsequentes, ejusdem semper vitae coelestis et auctoritatis divinae senties efficientiam atque ordinem etsi speciem diversam diversumque effectum.

Sed jam tres eae, quas dico, conditiones ethicae atque historicae quantum valuerint in re prophetica singulae videamus. in qua disputatione fieri quidem non potest, quin ex omnium simul nativo nexu lucem singulis affundamus.

a. DE NATIVA REVELATIONIS DIVINAE VERITATE AC NECESSARIA PERAPICUITATE.

Et primum quidem ea veritas veritatisque ejus innata auctoritas illustranda est, quam ipso foedere icto Deus suo populo tradidit ut propheticarum, quae post editae sunt, orationum quum universarum tum messianarum materiem ac caussam. Vita vero electi foederatique populi theocratica, quo propius aberat ab origine sua, eo magis, infantis instar recens nati, indigebat divina ope, tutela, nutrimento. Nempe creata primum a Deo est, foedere instituto, populi sancta vita ac divina; insita primum sunt rei quoque propheticae universae et vaticiniorum semina, quae dixerim. deinceps effloruit vita theocratica, sese exseruit vegeta ea atque foecunda veritas divinitus oblata, humanitus accepta, fructusque edidit propheticos. Ejus vero rei ordo quam sit

ethicus, quaenimus. qui quidem ita apparebit, si et foederis institutionem veritatisque in foedere collocatae ac promissionum divinarum temperamentum ethicum, cum humana natura maxime consonum, et prophetiae virtutis exempla, si quae sunt inde antiquitus profecta, quam fuerint ethice nata atque edita intellexerimus.

Foederis vero instituti triplex est ordo tribusque absolvitur, ut ita dicam, gradibus. Primum enim cum Noacho, deinde cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo, denique cum Mose foedus fecit Deus. Quorum qui sit ordo jam eo apparet, quod posteriores quique gradus excipiant anteriores eosque perficiant atque compleant. Sed primum quoque foedus Noachicum suam habet ansam quasi ethicam, naturalesque fundamentum, quo quidem non solum patefacta ac sancita in illo foedere Dei promissio (Gen. VIII, 17. IX, 1 sqq. 9. 12. 15) sustineatur ethice; verum etiam unum id, quod Noachicae prophetiae existat, exemplum (Gen. IX, 25 sqq.). Jam igitur et promissionis illius divinae et orationis hujus prophetiae reputemus argumentum, quod cur ethica ratione sive recipi sive prodi ab homine propheta potuerit videamus.

Promisit vero Deus Noacho et comprobavit signo aliquo coelesti, non iterum fore unquam repetitum diluvium, quo humanum genus deleretur. immo jussit Deus Noachum ejusque filios, adjecta benedictione, liberis operam dare, et hoc quidem foedus, quod naturale non injusta nominaveris sive communiter humanum, Deus dixit fore sempiternum, posteris quoque Noachiarum omnibus ratum. In hoc vero foedere hisce talibus promissionibus adornato, quae sit conditio naturalis, nempe a Deo creatore primum humanae naturae indita — id quod semper in naturalitatis notione ac nomine tenendum est — et quae sit ipsius promissionis nativa veritas ac necessaria perspicuitas, nempe ethica, digito quasi ipsa scriptura sacra indicat. Quoniam enim ea utitur Deus benedictionis formula (Gen. IX. 1. VIII, 17), qua usus primum omnium hominem patrem esse jusserat universi generis (I, 28), ad eam legem provocat quasi Deus, quam

ipse in creatione mundi sanxerat eamque quodammodo repetit ac denuo confirmat. Ita igitur comparatum est promissionis argumentum, ut necessaria sua ac nativa veritate constet, ut adsit in ipsa hominis natura ea lex eaque conditio, quae non concordet solum cum Dei promissione accedente sed etiam obviam quodammodo se ferat revelationi eamque ipsa exspectet. Itaque ut nulla certe modo laetam divinae promissionis summam ex sua natura aut ex sua spe gignere potuit Noachus, ita habuit homo in semet ipso occasionem sem conditionemque ethicam, qua paratus esse deberet ad excipiendam Dei advenientem revelationem et ad intelligendam ac fovendam illam. — Et similiter orationem quoque illam Noachi propheticam ita ex instinctu divino emanasse judico, ut ethica aliqua fuerit in homine dispositio, Dei auctoritati non solum non adversa verum etiam cognata atque parata, divino lumine non exstincta, sed in propheticam virtutem evecta. Utraque enim propheticae orationis pars, et maledictio in Canaanem edita et benedictio in Japheto, maxime in Semo, posita, quam ethico divinae inspirationis cum humana mente concursu fuerit informata, non debet esse obscurum. Ut enim Hamus impietate sua ac lascivia provocabat justam patris iracundiam, sic Semus ac Japhetus dignos sese paterna benedictione praestabant pietate sua et verecundia. etenim Noachus, conscientiae suae innatum judicium exculcum queque habebat ac comprobatum eo, quod, quum in universam terram propter hominum scelera saevissimum supplicium Deus immitteret, ipse pietatis suae caussa servatus esset (VI, 8. 9). Atque etiam cur Hamus non ipse sed in filii sui et minimi quidem miseria ac servitute luerit poenam, bene sensit Hofmannus (l. c. I. p. 89. 91), etsi non recte propheticam esse Noachi orationem negavit. Scilicet Hamus, filius ipse Noachi minimus, quoniam in suum patrem peccaverat, in suum rursus filium contraxisse facile judicatur talionis severitatem, nec injuria subditur suis fratribus is, cujus impietas a fratrum pietate fuerit superata. Cum Semo igitur recte benedictione ornatur Japhetus, etsi in Semo

ponitur maxima et lautissima promissio. Japheto enim amplum ac felix dominium datur, at Semo duplex aliqua promissio satis singularis, et quae Abrahamitico deinceps foedere repetita atque confirmata primordia quodammodo theocratiae continere videatur. Traditur enim Semo primum Canaani servitium, deinde Dei praesens in ipsius tentoriis habitatio. Improbo scilicet interpretes eos (veluti Tuchium, Hengstenbergium, Staehelinum, al.), qui diversae quidem sententiae auctores simili tamen ratione verbum וישכן (IX, 27) conjungant cum nomine Japheti. Deus potius habitare dicitur sive Dei Schechina, ut voce utar Onkelosi, in Semi tentoriis. nam nulla est in contextu caussa, cur aliud intelligamus subjectum in verbo וישכן, aliud in verbo יפת, et necessum videtur, ut postrema versus 27. verba de servitute Canaani in eandem sententiam interpretemur, quae non dubia est in versu 26, i. e. non de solo Japheto, neque de Japheto et Semo communiter, sed de solo Semo. Summa vero rei haec est, quod primum Jehova appellatur Semi Deus, deinde similiter in Semi tentoriis dicitur praesens habitare. Singularem igitur aliquam praedicat Noachus Semitarum cum Jehova communionem. En vegeta universae rei theocraticae, religionis, prophetiae, vaticiniorum, quasi stirps, ramis, floribus, fructibus postea mirum quam foecunda, cujus quidem radices altius quoque latent. Ipse enim Noachus id Dei nomen colebat (VI, 8. 9. cf. VIII, 20.), quod neglectum quidem a scelesta hominum gente, diluvio absumta, invocari primum a Sethi familia coeptum est (IV, 26), deinde ab Abrahamo ejusque sanctis liberis invocabatur (XII, 8. XIII, 4. XXVI, 25. XXXIII, 20). quamobrem insequentibus quoque temporibus omnibus sive peculiaris sancti populi ac praerogativa religio describenda est, sive ea, qua pagani quidem egeant, sive ea, quae messianam quondam salutem contineat, eadem voce laudari solet antiquissima illa nominis divini invocatio (cf. Exod. XXXIII, 19. Ps. CV, 1 sqq. LXXIX, 6. Jer. X, 25. Jo. III, 5. Seph. III, 9. al.). Sed Noachus quidem quum prophetice diceret, fore intimam aliquam Dei cum hominibus

et cum Semitis quidem communionem, geminam intus, ut puto, habebat conditionem ethicam, cur auctoritatem divinam, quae ad vaticinium illud edendum ferebat hominem, cum sua voluntate et intelligentia exciperet. Etenim traditione quadem haereditaria ipse quoque acceperat a suis patribus eam divini nominis invocationem eamque cum Deo communionem, quam lapsu quidem primorum parentum diremtam ac deperditam in Sethi tamen familia ipse Deus quodammodo restauraverat, deinde Noachi aetate ab impiis hominibus denuo neglectam ac fractam immisso diluvii supplicio ultus Deus confirmaverat iis, qui in universi generis exitio propter piam suam divinae communionis observationem fuerant servati. Itaque hoc quidem satis facile elucet, cur Semo potissimum divini commercii haereditatem concesserit, ut filio suo primogenito et maxime pio — scilicet enim Hermannus (l. c. p. 89) Semum fuisse honestae verecundiae primum auctorem docuit ex forma verbi דיקח (Gen. IX, 23) singulari — sed ipsius quoque cum Deo communionis notio ac conditio ea est, quae ethica quadam necessitate cum hominis natura et nobilitate concinat. Etsi haec quidem res non in Noacho, quippe qui ipse illam traditam a majoribus acceperit, sed in Setho quam ethice orta primum sit (IV, 26), inquirendum est. Ibi enim, si quid video, latet religionis religiosaeque hominum cum Deo communionis exordium, foederis theocratici fundamentum et quasi prolusio, universae rei propheticae, in theocratica populi Israelitici vita postea conspicuae, conditio prima et maxime communis. In qua caussa quum mysterium aliquod inesse divinum confiteamur, satis egisse nobis videbimus, si cur debeat esse mysterium in prima divini nominis revelatione et cur ethica etiam mysterii natura esse debeat monstraverimus. Jam vero provoco ad nativam eam communemque humani generis nobilitatem et cum Deo cognationem, quae quidem, deperdito licet fructu, deperdita, inquam, propter lapsum, beata illa cum Deo communione principio instituta, non solum non erat ipsa deperdita aut deleta, verum etiam defensa a Deo atque erecta primo illo, quod antea illustravimus evan-

gelio, et conservata quidem illa ut verae religionis, jamjam aperiendae, et foederis faciendi et salutis aliquando instaurandae conditio necessaria, maxime humana, naturalis, ethica. Ad hanc vero humanae naturae indigentiam utrum rectius dicam an excellentiam dubito, certe ad ethicam hanc humanae naturae dispositionem quomodo Deus sacrosancti sui nominis revelationem annexuerit primum (IV, 26), quoniam scriptum non est, ego jam ignoro, verumtamen quam id factum fuerit ethice non nescio: nempe ipsa revelationis veritas adeo lucida per se esse debuit et certa, adeoque consona cum intimo humanae naturae temperamento, ut, nisi noluerit obstinatus homo, sentire in revelata veritate Spiritus Sancti testimonium et posset et deberet.

Sed jam duplicem vides promissionem Semiticae genti divinitus condonatam, posteris sancte tradendam, ut ampliorum revelationum occasionem et conditionem historicam atque ethicam. Duae enim hae res datae fuerant Semitis: terrae Canaaniticae futura possessio et peculiaris cum Deo communio ita comparata, ut Semi Deus nominaretur Jeheva. Haec hereditaria vero haeresse vitae divinae et veritatis et spei summa quum vigere semper deberet in electa semel Semi familia, cum humana voluntate et intelligentia, et ethica denique ratione debebat augescere atque expandi adjuvante semper Deo. et vero ita mihi lautior videtur atque excultior summa ea promissionum, quae Abrahamo, Isaaco et Jacobo dedit Deus, atque ita id quidem foedus (Gen. XV, 18. XVII, 2. sqq.) excepisse videtur ac perfecisse antecedentem Semiticae gentis benedictionem, ut haecce rursus, cum Noachico foedere, sustinebatur quum communi humanae naturae institutione (I, 28. III, 15), tum prima illa divini nominis (IV, 26) revelatione. Neque vero solum tripartitum illud foedus universum Abrahamiticum, Isaacicum, Jacobicum nititur in antiquioribus Dei institutionibus — veluti Abrahamo ac filiis ejus confirmans promissionem largae posteritatis, Noacho ante datam (XVII, 6. 30. XXXV, 10. cf. XXVI, 3 sq. VIII, 17. IX, 1. 7.), ita Deus loqui solet, ut resonet quodammodo

prima benedictionis oratio (I, 28) — verum etiam tres illius foederis partes, quasi gradus, excipiunt altera alteram. Sic ad Deum Abrahami et ad promissiones patri datas, juramento quoque confirmatas divino, provocat filius Isaacus, electi patris in dignitate theocratica haeres (XXVI, 3 sqq. 24), atque ipse rursus Abrahamiticam benedictionem tradit Jacobo (XXVIII, 4. XXVII, 27 sqq.), verbis quoque non ita dissimilibus. Porro Jacobus benedictionem antiquam accipit a Deo Abrahami et Isaaci, expertum habet id quod Deus in sancta illa familia egit (XXVIII, 13. XXXII, 9 sqq. XXXV, 10 sqq. XLVI, 3 sqq. XLVIII, 4 sqq. 15 sqq.) et filio suo Judae reliquit moribundus ipse continuam theocraticae spei haereditatem (XLIX, 10). Denique Mosi, veteris testamenti ministro potissimo, patefacit se Deus ut Deum Abrahami et Isaaci et Jacobi, promissionibus scilicet antiquitus editis beneficiisque in suum populum collatis dudum cognitum atque familiarem factum (Ex. III, 6. 15).

Sed haec quidem de historico foederum theocraticorum nexu ac progressu ethico disputasse satis sit: jam enim in novarum revelationum argumento quaenam vigerit genuina veritatis divinae auctoritas et necessaria perspicuitas potest commonstrari, qualisque fuerit in propheticis simul patriarcharum orationibus (Gen. XX, 7) conditio ethica apparet. Nempe in hunc modum adornavit Deus atque excoluit patriarchis antiquiorem promissionum thesaurum atque ita in foedere cum Abrahamo ejusque filiis facto repetiit, confirmavit, amplificavit primordia illa theocraticae communionis, ut nova ea benedictionum summa et amplior, in repetito foedere collocata, et quam ordinate fuerit apposita et cur posterioris iterum ac perfectioris foederis Mosaici conditionem genuinam reique propheticae, inde postea profectae, materiem quodammodo vegetam continuerit ipsa, conspicuum esse possit. Geminam vero promissionem addidit Deus in foedere cum Abrahamo filiisque ejus icto antiquis Semiticae gentis exspectationibus, hancce: primum in theocraticam dignitatem evexit Deus id, quod Noacho quidem in naturalem

potius atque humanam sententiam communiter promiserat quam de humani generis conservatione tum de propriae progeniei duratione. deinde omnibus simul universae terrae nationibus futuram salutem aperuit in Abrahamiticae benedictionis consortione. Gemina, inquam, promissio est, altera res cum altera necessario copulata. Jam enim ita dicitur futura esse innumerabilis Abrahami progenies, atque ita Abrahamitico semini traditur Canaanitarum et multorum populorum dominatio (Gen. XVII, 5 sqq. XLIX, 10), ut et numerositas incredibilis duratioque Abrahamiticae gentis sempiterna et aliorum populorum dominatio ponatur in *theocratici foederis* communione, in qua omnium simul gentium insit benedictio (XVIII, 17 sqq.). Hic igitur latet foecunda ac viva omnium eorum vaticiniorum materies, Mosaico deinde foedere lautius etiam exculta, quae et de Israelitici populi sempiterna duratione et de paganorum ad Deum vocatione futura atque conversione postea sunt a prophetis edita. Duplicem igitur hanc promissionum prophetiarumque summam ac seriem exemplis aliquot commonstremus maxime illustribus ita ut innata rerum divinitus patefactarum veritas propriaque claritas quam caste adjuverit humanum prophetarum intellectum, quam ordinate sanctificaverit et confirmaverit eorum spem et voluntatem et laborem, quam ethica denique efficerit divina auctoritas propheticam in hominibus virtutem, vaticiniis editis conspicuam, ut fieri poterit, appareat.

Quo certius vero expressa aliqua atque indubitata divinae vitae consortio aperiebatur foederibus cum patriarchis et cum Mose factis, eo fortius et sanctius ejus quidem vitae natura ethica semet ipsam commendabat cognatae hominum naturae non solum ethicae et cum religiosa facultate primum institutae, verum etiam Noachico foedere et revelatione aliqua divini nominis dudum facta satius praeparatae. Semper enim divina veritas sui ipsius testis esse debet et magistra. Necessum igitur est, ut in primo quoque Abrahamitici foederis vestigio (Gen. XII, 2 sq.) lateat id, quod clarissimis deinde ac specialissimis vaticiniis explicatum est, numerositatem dico

durationemque electi populi et paganorum conversionem. Ipse enim beati populi cum vero Deo et uno communio facit populum sempiternum, ut sempiternae veritatis haeredem non solum, verum ministrum quoque et praeconem, qui debeat ita necessario in suae vitae communionem admittere immo vero advocare universas gentes, si ipse revera habeat religionem perfectam ejusque salutis peculiarem exspectationem et anticipationem quodammodo, quae ethicae generis humani naturae maxime sit communis (III, 15). Verum quidem hanc ipsam ob caussam, quia sancta Abrahami gens „benedictio" est omnibus, non potest non maledici iis, qui adversentur cum maledictione theocratico populo (XII, 3. XXVII, 29). nam ita solummodo divina veritas ac vita, sancto populo foederato concredita, potest afferre salutem omnibus, si propter ethicam suam naturam perniciem quoque efficere potest his, qui divinae vitae communionem aspernati fuerint. Ita enim critica esse debet ut est ethica. neque in exteros solum, advocandos aliquando in beatae theocraticae communionem, verum etiam in ipsum Dei populum summa ea lex valet. Scilicet servari vult Deus, et velle id quidem debet, foedus suum cum hominibus factum. jubet Abrahamum sanctam theocraticae vitae regulam sequi (XVII, 1), et hanc ob caussam ratas habet promissiones suas in foedere positas, quoniam Abrahamus beatae suae genti Dei leges sanctissime tradit (XVIII, 18 sq.). Vult utique Deus, ut apprehendat homo alacri constantique fiducia suas promissiones, quae quidem aliter hominem erigere nequeunt (XV, 6), quoniam correlative, ut optime dixit Melanchthon (Apol. Conf. Aug. II. De Justif. §. 50. l. c. p. 69), connexa est cum promissione divina humana fides ita ut ex ipsius promissionis natura efluat necessaria fidei conditio et ethica. vult denique Deus, id quod ipsius foederis natura efflagitat, ut maneat homo in sancti foederis communione, quae quidem fractis Dei legibus, contemtis promissionibus, deperdita fiducia non potest non dirumpi. Ex genuina igitur instituti foederis natura ethica proficiscitur lex ea, quam electo suo populo pariter ac pa-

gaais sanxit Deus, et certissima conditio sive manendi in foederis beata consortione promissionumque haereditate sive accedendi in illam. Ethica igitur ratione et accipiunt homines a Deo et promulgant ipsi in orationibus suis propheticis necessariam eam legem, qua ad pietatem foederisque conservationem cives suos, sive praesentes sive futuros, adstringunt. Etenim ut Noachus primum, nempe ipse propter piam divini nominis invocationem, a Sethi usque aetate traditam, et vitae sanctimoniam in universi generis exitio servatus ac peculiaribus Dei promissionibus dignatus (VI, 8 sq. 22. VII, 1. VIII, 20), cum Canaanitarum dominatione intimum simul cum praesente Deo commercium Semo haereditate moriens reliquerat: sic Abrahamus et Isaacus et Jacobus lautiorem sui foederis promissionem geminam et accipiunt ipsi et tradunt posteris singuli non sine ethica servandi foederis conditione (XVII, 1 sqq. XVIII, 18 sqq. XXII, 16. XXVI, 5. 25. XXXIII, 20). Quae quidem, quum per semet ipsam sit necessaria, eo disertius apponitur ac gravius, quo certiora et ampliora condonantur populo divinae gratiae documenta. Itaque Moses, cujus quidem ministerio Deus usus est ad perficiendum antiquum id, quod cum patriarchis fecerat, foedus, et laetissimas promissiones, antiqua haereditate in theocratico populo traditas, repetere, confirmare, explicare atque in praesentem populi miseriam adhibere et sanctissimam conservandi foederis, praestandi obsequii, manendi denique in communione cum Deo conditionem sancire debuit. Quoniam enim habebat Moses omnes eas, quas Deus Abrahami et Isaaci et Jacobi suo populo donaverat promissiones, religiosis quoque juramentis comprobatas (Exod. III, 6 sqq. 15 sqq. VI, 2 sqq. XXXII, 13. XXXIII, 1 sqq. XXXIV, 11. Deut. XXXI, 7), ut certissima omnino debuit esse spes, fore ut liberatus ex Aegypto populus in Canaanitarum sedes feliciter traduceretur, sic necessaria quoque theocraticae prosperitatis conditio ex ipsius theocratici foederis natura divina et ethica emergere ita debebat, ut in beata foederis institutione utriusque simul rei et benedictionis et maledictionis caussa

contineri atque offerri populo appareret (Lev. XXVI, 3 sqq. Deut. XXX, 20. Exod. XIX, 5 sq. XXIII, 21 sqq. XXIV, 6 sqq. XXXIV, 10 sqq.). Etenim Mosis quidem historiam et conditionem universam, sive populum suum ex Aegyptiaca servitute in destinatam Canaaniticae terrae possessionem reducentis, sive legem divinam proclamantis, sive foedus facientis, sive castigantis populum aut advocata antiquarum benedictionum memoria et auctoritate semper valida, cum supplici intercessione servantis (Ex. XXXII, 11 sqq. al.), sive futurum quoque et majorem semet ipso prophetam, Messiam annunciantis (Deut. XV, 15. 18), universam denique sancti viri dignitatem, propheticam scilicet (Deut. XV, 15. 18. XXXIV, 10. Hos. XII, 14), quo accuratius perpenderis, eo certius, ut puto, prophetica ejus quidem viri excellentia quam ethice sustentata fuerit conditionibus suis externis simul et internis, historicis et ethicis, quam propria divinarum revelationum natura prophetae hominis acuerit intellectum, excitaverit voluntatem ac desiderium illud quod descripsit dominus (Matth. XIII, 17), intelliges. scilicet intelliges, id quod accuratius quidem postea explicandum est, attamen praetermitti prorsus hoc loco certe non debuit, nullam quidem esse potuisse dignitatem Mosis propheticam, nisi adjutus homo fuisset singularibus et expressis Dei revelationibus (Num. XII, 7 sq. Ex. III. IV), tamen ita vocatum fuisse hominem et institutum et adornatum ad propheticum suum munus, ut non deleta humana libertate aut intelligentia ad hanc potius ipsam accesserit ethica Dei auctoritas maxime necessaria. Scilicet universus quidem populus, Aegyptiaco servitio oppressus, habebat sane laetissimas suas de Canaaniticae terrae possessione promissiones divinitus datas, attamen eorum quidem nemo, ne Aaron quidem, quoniam vocatus ad educendum populum solus Moses erat, propheticam sibi arrogare potuit auctoritatem eam, quam Moses potius ex Dei voluntate et revelatione accepit. porro omnes quidem theocratici populi cives eandem sentiebant divinae vitae ac veritatis communionem, quae vigebat in foedere a Noacho et Abrahamo

ejusque filiis tradito, attamen nisi Moses solus, utpote selectus ad hanc rem et institutus a Deo, ex vegeta anterioris foederis summa, promissionibus, conditionibus, natura denique ethica elicere atque efficere sua cogitatione aut industria proprioque desiderio aut studio nemo omnium potuit, quoniam ita solummodo vigebat foecunda anteriorum revelationum veritas atque auctoritas, ut, quando accesserit nova aliqua divinae mentis manifestatio, ea et a prophetis singulis et ab universo populo, satis praeparatis omnibus, recipi ethice et intelligi et in vitae theocraticae communem usum adhiberi honeste posset, non posset ex antiqua veritatis ac spei haereditate, ut visum hominibus fuerit, quasi procreari id, quod nova sua revelatione Deus voluit condonare populo. Veluti decalogus universusque earum legum codex, quibus Mosaicum foedus sustinetur, non solum complectitur et describit omnem theocraticae vitae ac sanctimoniae rationem eo usque in sancti populi communione informatam, verum explicat quoque illam et complet et perficit, ita scilicet ut necessaria utique sanctae vitae regula esse appareat. Ut enim perfecta vere insit et absoluta, quam dicunt, in Mosaico foedere religio, certe perfectae religionis perfectum primordium, perfecta quoque esse debet lex. Sancta hominum virtus aliter describi non potest. Nil addere ad legem, nil demere inde poteris. Et vero semet ipsam suadet quasi lex et sui ipsius est interpres validissima. consonat enim cum intimo et verissimo humanae naturae temperamento ethico, consonat cum constantissima ac sanctissima pietatis regula foederibus omnibus, Noachico, patriarchali, sancita et confirmata, consonat denique cum semet ipsa atque conservandae cum sancto Deo communionis conditiones necessarias hominibus describit ita, ut simplicissima quidem videatur legis latio et apertissima per semet ipsam, quamvis sit divina et prophetico hominis ministerio facta.

Haec vero, quam dico, innatam legi latae atque insitam necessitatem ac veritatem, continua simul theocraticae vitae haereditate atque experientia comprobatam, ethicamque eam,

quae inde emergit, Mosaici foederis auctoritatem Mosisque, ut prophetae, conditionem ethicam non solum in universae legis foederisque natura conspicuam esse judico, sed in singulis quoque rebus et potissimis prophoticae virtutis documentis sive a Mose primum sive ab iis, qui post illum, ex Mosaici utique foederis consortione, profecti sunt, deinceps editis investigasse mihi videor. Geminam vero illam dico sanctarum exspectationum haereditatem, usque ab Abrahamo traditam, temporum decursu castigatam ac perfectam, legis sanctione repetitam ac confirmatam, Mosis et prophetarum, quotquot subsecuti sunt auctorem illum ac principem, omnium consonis vaticiniis illustratam semper atque exoultam. jam igitur utriusque generis vaticinia prophetica, tum ea quae in theocratici populi numerositate et duratione et felicitate continentur, tum ea, quae de paganorum futura conversione sunt prolata, quam ethice ex ipsa theocratici foederis natura et veritate divina orta fuerint, nempe inspirante prophetas Deo materiemque vaticiniorum occultam in vivido theocratiae commercio illustrante et suppeditante ethice, videamus. Et primum quidem de electi populi prosperitate omni, ut terrae Canaaniticae occupatione et inhabitatione sempiterna, quoniam theocraticum erat foedus a Deo cum populo per Mosem factum, repetita videlicet atque confirmata antiquiorum foederum dignitate theocratica, ne potuit quidem fieri, quin religiosa observandi foederis conditione pietatisque et obsequii praestandi lege muniret ac sanciret Moses quidquid promissionum in suo foedere collocatarum atque etiam praesentium beneficiorum proponendum erat orationibus propheticis aut cum virtute prophetica ac fortitudine efficiendum. Universa enim electi populi felicitas a Deo paratur ac defenditur, qui semet ipsum in eo quidem populo habitaturum esse dixit (Lev. XXVI, 11. cf. Gen. IX, 27). itaque quum educeretur ex Aegypto in promissam terram populus, utpote qui haeres esset Abrahamiticae benedictionis (Ex. III, 6 sqq. VI, 2 sqq. al.), neque pervenire debebant in sanctas Dei sedes ii, qui contemtis foederis legibus felicitatisque conditionibus maxime

necessariis (Ex. XIX, 5 sqq. XX, 1 sqq. al.), fide sanctissime data compositis (Ex. XXIV, 7 al.); deseruissent Deum suum foedusque cum promissionibus abjecissent (Num. XIV, 28 sqq.), neque vero manere aut habitare in sancta terra poterant, qui infidelitate sua communionis divinae vinculum dirumperent postea et impietate sua, veluti advocatis idolis, verum Deum ex terra sua propellerent, scilicet felicitatis unicum auctorem ac vindicem (Lev. XXVI, 14 sqq. Deut. XXVIII, 15 sqq. XXIX sq.). Quoniam vero pio populo legemque Dei ac foedus sancte observanti Canaanitarum terra datur et cum securitate tenetur, contra si desciverint a Deo suo, necesse est, ut devastata terra patria in paganorum ipsi incidant ditionem atque exsules inter barbaros crucientur (Lev. XXVI, 33. Deut. XXVIII, 64). illa enim spes ac promissio hanc gignit quodammodo minationem comparisque poenae expectationem. Et hoc quidem loco nondum dico id, quod Paulus apostolus ex genuina ipsius legis natura rectissime effecit, hanc fuisse legis necessariam efficaciam, ut eliceret peccata et condemnaret, ut interposita ipsa inter antiquissimas salutis futurae promissiones atque salutem in Christo comparandam offerendamque omnibus spem omnibus ac desiderium futurae salutis injiceret cum ethica aliqua necessitate, hae enim res postea sunt disputandae, nunc faciliore arte ac simplicius id quaerimus quod expressa propheticarum orationum verba sonant. Jam vero ut deseruerint Deum, ut violaverint foedus, non mansuros esse illos dicit Moses in beata terra, neque vero aliter propheticam suam minationem effingere poterat. At vero lex ipsa innataeque legi comminationes num evertere poterant antiquissimas de duratione populi sancti promissiones? Immo vero ex certissima ac validissima promissionum divinarum auctoritate cum suppliciorum omnium minationibus, sive devastandam terram sanctam sive exsilium populi futurum intelligis, comparata, emergit quasi sua sponte, ethica certe necessitate, id quod Moses primum, deinde omnes simul prophetae de sancto populo vel de sempiternis populi reliquiis in extremo quo-

que supplicio et per ipsam potius supplicorum castigationem salutarem servandis dixerunt prophetice (Lev. XXVI, 39 sqq. Deut. XXX, 1 sqq. Hos. V, 15. Jo. II, 17 sqq. Am. IX, 7 sqq. Jes. VII, 3. X, 5 sqq. XI, 16. XLV, 5 sqq. Mich. IV, 1 sqq. 10 sqq. Soph. III, 12 sqq. Jer. XXIX, 14 sqq. XXXII, 37. cf. 1 Reg. XIX, 18. al.). Scilicet necesse est ut in extremo quoque theocratici populi discrimine supersint semper sanctae reliquiae, divinarum promissionum nunquam revocandarum haeredes, veritatisque aeternae ministrae, quae quidem non possint funditus, ut Sodomitarum nefaria civitas, everti (Hos. XI, 8. Jes. I, 9). Debent igitur vaticinari prophetae, fore ut non penitus deleat Deus suum populum, sed castiget atque acerba medicina adhibita ad semet ipsum revocet. debent vero prophetae quando universae terrae sanctae vel urbis et templi quoque devastationem atque excidium largiuntur hostibus, quos non sine intelligentia sua historica atque ethica, ut videbimus, annunciant, ad summum quasi minationis fastigium progressi communstrare, qui in ejusmodi miseriarum extremitate maneat locus futurae salutis, debent, inquam, tristissimarum comminationum cum laetissimis promissionibus antiquitus traditis concordiam divinitus sancitam illustrare ac defendere. Quae quidem ethica esse debet, ut sanctae legis ipsius conditio minationumque caussa, ex violato foedere profecta, est ethica. Et delitescit quidem illa in omnibus intercessionis propheticae exemplis (Ex. XXXII, 11 sqq. 1 Sam. XII, 23. Jer. XV, 15 sqq. cf. XVI, 17 sqq. Am. VII, 1 sqq. al.) pariter atque in vaticiniis iis, quibus populum tantum non absumtum, in exsilio oppressum, peccatorum conscientia cruciatum, commercio cum Deo, ut videtur, privatum erigere solent et consolari. Qua vero ratione concordet antiqua promissionum haereditas cum futura populi castigatione, quam quidem sceleribus civium provocatam, quo propius abest, eo certius et distinctius annunciant prophetae, atque etiam ejusmodi vaticiniorum materies et caussa, in ipso foedere hujusque legibus vigens, quam necessario tamen egeat accedente auctoritate Dei, ut profe-

ratur vaticinium vere prophaticum, optime sane intelliges, si pseudoprophetarum fallaces consolationes comparaveris. Etenim hi quoque habebant quidem laetam promissionum haereditatem traditam, tamen quoniam neque ethicam et criticam eam, quae in illis necessario vigebat, legem percipere volebant, neque desperatam theocratici populi conditionem atque impietatem ad sanctam illam regulam exigebant, neque vero intus sentiebant prophaticam divini Spiritus auctoritatem, facile factum est, ut decepti ipsi populumque decipientes in pravissimam sententiam abuterentur sanctis Dei promissionibus, ut superbam securitatem voluptariamque mollitiem susderent apud populum, non sinceram poenitentiam aut piam foederis restaurationem (Jer. V, 12. VI, 14. VII, 3 sqq. XXIII, 16 sqq. Ez. XIII, 3 sqq. 10. Deut. XVIII, 20 sqq. Et de locis Am. V, 18. VI, 1 sqq. Mich. II, 11. vide *meam* commentationem in I. Theol. Stud. u. Krit. 1840. p. 892). At vero qui a Deo ad edenda vaticinia erant instituti ne poterant quidem quin et tristissimam imminentium supplicorum annuntiationem temperarent constantissima futurae salutis exspectatione, et necessariam eam proponerent castigationis ac servationis conditionem naturamque criticam et ethicam, qua resipiscentibus solummodo Deumque quaerentibus, sanctis denique veraae theocratiae reliquiis pararetur futura salus, hinc quidem fidelibus civibus per ipsa supplicia admovenda. Quoniam enim populus ex Abrahami gente ortus fuerat semel in peculiarem Dei amicitiam selectus, debebat utique et haeres esse antiquarum promissionum et obnoxius sanctis iis legibus, quas cum promissionum haereditate per Mosis propheticum ministerium iterum sanxerat Deus atque universa foederati populi historia comprobaverat. Sive igitur restaurari jubent prophetae, ut Malachia (III, 22), legem a Mose promulgatam, sive ex antiquiore quoque theocratici populi aetate piam nominis divini invocationem, ut Joel (II, 5), repetunt, sive alii aliter necessariam theocraticae et messianae quidem illius felicitatis conditionem describunt, certe judicio quidem, quod prophetica cum praesensione annunciant,

tantum abest, ut perfectum universi populi exitium continuari arbitrentur, ut ea ipsa purgatione peccatores dicant fore ut absumantur quidem, verum ejecta quasi palea purum triticum remaneat (Am. IX, 9 sq. Cf. Jes. IV, 2 sqq.). Hac enim mente Deus in suum populum animadvertit, ut delatis quidem obstinatis atque indignis theocratiae civibus in salubrem poenitentiam reliquos adducat. in qua re quum utatur Deus paganorum, veluti Assyriorum et Chaldaeorum, opera ac ministerio, hujusmodi quidem hostes debent esse in manibus Dei instar flagelli ad tempus adhibiti et quasi conducti, mox abjiciendi (Jes. VII, 20. X, 5 sqq. Mich. IV, 12 sqq.). nullus enim eorum esse potest usus, quam salutari castigatione expurgaverint, ut Deo visum fuerit, sempiternas sancti populi reliquias atque in poenitentiae conditionem compulerint adeo necessariam, adeo, inquam, ex ethica theocraticae salutis natura genitam, ut certum quoque poenitentiae praeconem, Eliae similem, annunciare deberent prophetae, quum personalem aliquem futurae salutis auctorem, nempe Messiam, exspectare ac promittere civibus didicissent (Mal. III, 19 sqq. cf. Jes. XL, 3 spq.). Immo vero ipsa futura salus, ut sit divina vero atque ethica, non praeparari solum debet critica purgationis ac poenitentiae conditione, sed etiam in sua natura propria necessario debet habere sanctissimam eam auctoritatem et vim criticam, quam varia quidem oratione eadem tamen et consona mente illustrant prophetae omnes. Sive enim Joel futuro illo tempore, quo Dei nomen invocantibus promittit salutem, hostes simul theocratiae facit judicari (III. IV. cf. Sach. XII, 1 sqq. XIX, 1 sqq.). sive disertius quoque Micha eundem pacis auctorem dicit hostium simul omnium debellatorem sanctasque populi reliquias, a Messia adjutas atque defensas, non solum roris suavitate adornat verum etiam tremendo, tanquam leonum, robore armat (V, 3—8), sive Jesaja cum lapide comparat Messiam, quo quidem aut sustentari debeant homines atque erigi aut contundi et obrui (VIII, 14), sive Messiam, ut divinae veritatis nuncium et aeternae pacis et sanctitatis et vi-

tae restauratorum, depingunt diruentem idolorum templa ac sedes, frangentem arma, propulsantem pseudoprophetas cum divinatorum ac praestigiatorum omni genere (Mich. V, 10 sqq. Jes. XXX, 22. Sach. XIII, 2. al.) — sed in hisce omnibus propheticae virtutis exemplis et vaticiniis nonne tu sentis vegetam ipsius veritatis auctoritatem et necessitatem ethicam? Scilicet non eam dico insitam veritati auctoritatem ac necessitatem, quam sine Dei auxilio aut inspiratione prophetae excogitare sibi et colligere ex communi foederis vitaeque theocraticae haereditate potuissent, sed ita judico comparatam fuisse vaticiniorum materiem, ut a Deo quidem subministrata prophetis in semet ipsa tamen haberet intelligentiae caussam liberalem atque ethicam, universa simul foederati populi experientia comprobatam et adjutam.

Sed hujusmodi quidem vaticinia omnia de sancti populi duratione sempiterna et de theocraticarum reliquiarum salutari castigatione certaque felicitate, quae quam ethico ordine continentur exposuimus, quum ad paganos quoque spectent, ad alteram theocraticae haereditatis partem prophetico-rumque vaticiniorum caussam alteram, supra (p. 87 sqq.) indicatam breviter, repetendam atque accuratius describendam nos reducunt. Etenim hae quoque de futura paganorum conversione promissiones divinae atque orationes propheticae mihi quidem ethicae esse ideo videntur, quia divinae in hancce sententiam editae revelationes omnes propter innatam suam atque insitam veritatem ac necessitatem hominum intellectum et voluntatem non modo non opprimebant, sed etiam excitabant et adjuvabant. illa enim paganis quoque concessa divinae consortionis futuraeque salutis exspectatio quum maxime consentanea esset cum sanctissimo ac verissimo humanae naturae desiderio (Gen. III, 15. cf. p. 8 sqq.), in theocratici quidem foederis institutione tam necessaria erat, ut sine illa ne posset quidem intelligi unius et veri Dei in omne humanum genus gratiosa auctoritas (Ex. XIX, 5) aut absoluta theocraticae religionis veritas aut particularis foederis divina fides. Cum ethica igitur necessitate factum est, ut in

ipso theocratici foederis primordio (Gen. XII, 2 sq.) poneretur haec de paganis adhibendis promissio [28]. Et vero in omnibus foederis cum patriarchis facti gradibus hanc reperimus de universi orbis nationibus editam promissionem (Gen. XII, 2 sq. XVIII, 18. XXII, 18. XXVI, 4. XXVIII, 14), in qua quidem eorum vaticiniorum omnium, quae a prophetis deinde sunt de futura paganorum civitate ac felicitate theocratica cum sancta liberalitate pronunciata, verissimam originem inesse judico caussamque ac materiem necessariam atque ethicam. Etsi quoniam parum consona certaque est apud viros doctos sacrorum verborum, quae dicimus, interpretatio, primum quidem, quid mihi maxime placeat, dicendum est. Etenim quum et formae nifal (נברכו) scriptae sint (XII, 3. XVIII, 18. XXVIII, 14) et formae hitpael (התברכו cf. XXII, 18. XXVI, 4), in duas potissimum sententias discesserunt viri docti, missos enim facio eos, qui nil prorsus, ut Ammon, dixisse mihi videntur. Sunt vero interpretes non ignobiles, veteres maxime, qui ipsam Abrahami progeniem, imprimis Messiam (cf. Gal. III, 16), praedicari velint gentium omnium benedictionem, sive realem ac personalem felicitatis futurae caussam, sensu scilicet verborum passivo hoc: in te vel per te, tuam progeniem parabitur atque efficietur omnium gentium felicitas. At ex altera parte disputant viri docti, ut Hofmannus et Staehelinus, formulam aliquam tradi bene precandi, sensu orationis reflexivo, quo quidem nationes omnes dicantur ipsae fore ut bona sibi polliceantur ad Abrahami gentisque Abrahamiticae exemplar. In qua disceptatione quum non solum grammatica auctoritas constantiore comprobata usu, sed etiam explicationes ancipitum illarum orationum atque inter-

---

28) Minime vero assentior Staehelino (l. c. p. 7 sqq.), qui de re, quam quaerimus, hancce tulit sententiam: »Dieser Glaube war erst das Erzeugniss einer späteren Zeit, nachdem Israel das unschätzbare Kleinod seiner Religion längere Zeit hindurch sich bewahrt hatte.« Vir doctus nescio an Samuelis demum aetate exspectationem de paganis in theocratiam admittendis ortam esse sentiat.

pretationes in libris veteris codicis haud ita raro obviae sententiarum, quas defendi a viris doctis video, duarum suadeant maxime alteram, ego sane non dubito sequi Hofmannum et Strassellinum, licet parum strenue evicisse id, quod recte senserint, videantur. Primum enim grammatica (cf. Ewald, Grammat. der Hebr. Sprache. Ed. 8. Lips. 1838. §. 243) formarum nifal et hitpael defendit quidem usum promiscuum at sensu potius reflexivo quam passivo (cf. Gen. III, 8. 10). deinde vero orationes, quas quaerimus, in hunc modum repetuntur saepius atque evolvuntur a sacris scriptoribus, ut genuinus earum sensus satis lucide appareat. Neque enim generaliter solum forma hitpael adhibetur in sententiam reflexivam ita ut bona sibi augurari dicatur is qui benedicat sibi (התברך Deut. XXIX, 18. cf. Gen. XLVIII, 20. Sach. VIII, 13. Num. XXIII, 10), verum etiam disertius ac formulae Abrahamiticae similius ipsi pagani dicuntur ita sibi benedicere, ut ex apposita voce parallela intelligi debeat verbi התברך sensus reflexivus. Veluti in Psalmo LXXII (v. 17), quum Abrahamitica promissio prophetice confirmetur gentibus omnibus, componitur antiquissimum illud ויתברכו בו cum faciliore verbo ואשרהו. et apud Jeremjam (IV, 2) forma התברך excipitur a parallelo verbo התהלל. denique in Jesajae libro (LXV, 16) cum sancta bene precandi formula comparatur vera jurandi regula. Jam igitur apparet, de paganorum quidem futura felicitate quid promissionis Deus inesse voluerit etiam in Abrahamitico theocraticae communionis primordio. Quoniam universae gentes tuam, ait, tuaeque progeniei felicitatem conspicient et approbabunt et appetent ipsi, ideo tua quidem felicitate utentur ut lautissima benedicendi sibi formula. et ipsi cupient tuae esse felicitatis consortes, ergo tuae veritatis et vitae et tui cum Deo commercii socii. Nam si quid felicitatis habet Abrahamus ejusque beata gens, necessario id quidem omne continetur in theocratici foederis communione. Deus, quem quidem Abrahamus colit, omni felicitate adornat hominem. Volent igitur aliquando, ait, homines universi colere cum Deum; a quo Abrahami potissimum gentem senserint esse

semper defensam et auctam et adjutam. Et hanc quidem promissionem in ipso theocraticae vitae primordio divinitus collocatam, non humanitus excogitatam aut effictam, deinde a prophetis omnibus repetitam cum auctoritate divina atque excultam, adeo dico esse necessariam atque ethicam, ut sine hac quidem prophaticarum orationum materia foederis theocratici religionisque absolutae veritas atque auctoritas nulla prorsus esse debeat. In hanc enim sententiam quam recte advocemus, ut antea diximus (p. 80), et divinam humanae naturae institutionem insitamque in illa cum creatore Deo cognationem et ipsius religionis revelatae absolutam veritatem — nempe ita solummodo absoluta est religionis revelatae auctoritas, si nobilissimo humanitatis desiderio satisfaciat, utpote exspectantis correlativa cum necessitate aperiendam veritatem, comparandam salutem, restaurandum cum Deo commercium — huncce, inquam, promissionum divinarum de paganis ordinem ethicum in vaticiniis potissimum propheticis, tanquam in frugibus, quas ex vegeto quasi semine illo liberalis Dei auctoritas non praeter seminis naturam procreaverit, intelliges. in iis enim id, quod dico, tum latet semper, tum apparet non raro, disertius quoque explicatum. Neque enim generaliter solum promittere solent prophetae fore ut pagani in beatam foederis divini consortionem adhibeantur aliquando (Jes. II, 2 sq. XI, 10. LV, 3 sqq. Mich. IV, 1 sqq. Jer. III, 17. Hagg. II, 7. Seph. III, 9. Sach. VIII, 20. XIV, 16 sqq. al.), verum etiam in hunc modum depingunt non raro atque illustrant spem illam maxime theocraticam, ut, quae sit ejus quidem conditio ethica et quam necessario nexa esse debeat sive cum vivida unius Dei creatoris ac gubernatoris notione sive cum valida singularis foederis ac praerogativae cum Deo communionis conscientia, non obscure indicent. Scilicet non ita sibi suum populum elegit Deus, quasi non eodem suo dominio cohiberet omnes universae terrae gentes (Ex. XIX, 5 sq. Deut. VII, 6 sqq.), immo vero quoniam paganorum quoque rex est Deus atque creator (Jer. X, 7 sqq. Ps. XXII, 28 sq.), subdidit quidem

illos sanctae Abrahami genti, at eo consilio, ut regia simul atque sacerdotali dignitate adornatus populus Israeliticus (Ex. l. c.) efficeret in paganorum salutem laetissimam eam promissionem, quam usque a prima Abrahamitici foederis institutione debitam his quoque esse voluit Deus (cf. Deut. l. c. imprimis Ps. LXXII, 17 cum Gen. XII, 2 sq.). Quoniam enim unus est Deus (Deut. VI, 4) unumque ejus quidem nomen (Sach. XIV, 9), quoniam solus ipse et condidit primo universum mundum et creavit cunctam gentium omnium multitudinem et regit semper solus et gubernat (Ps. l. c. Jer. l. c. Jes. XVII, 7. XLV, 18 sqq. al.), ideo debet sane velle Deus et quasi aemulo studio efficere, ut deleta idolorum inani gloria, sui potius nominis majestas agnoscatur ubique et ab universo mundo, uti par est, colatur. Hac igitur mente universum mundum regit Deus et suum populum tuetur, et conterit gentes, ut pagani quoque, conspectis divinae majestatis exemplis mirabiliter editis, quam nihil sint idola, experiantur (Jes. XIX, 1 sqq. Jer. XVI, 19 sqq. al.) atque unius Dei gloriosum nomen discant cum vereoundia admirari (Ex. IX, 16. XIV, 17 sq. XV, 14. XXXII, 12 sqq. Jos. II, 9 sqq. 1 Reg. VIII, 42 sqq. Ps. CXXVI, 2. Mich. VII, 16 sqq. al.). Quae quidem res quam vera per se sit ac necessaria eo indicatur, quod id ita futurum esse per semet ipsum jurat Deus (Num. XIV, 21). Scilicet majorem semet ipso, cujus auctoritatem advocet, habet Deus quidem nominem (Hebr. VI, 13). at enim non hanc solummodo caussam esse suspicor, cur suum ipsius nomen obtestetur in jurejurando Deus, sed ampliorem quoque ac graviorem quandam sententiam latere simul in obtestationis illius formula judico. Deus enim, utpote qui omnis veritatis est auctor, ejusdem debet ipse esse testis summus et solus. quodsi quid veritatis, sive doctrinae sive promissionis, aperit Deus adjecta sui nominis obtestatione, eam quidem rem dicit ita veram esse ac certam, ut ipse sit certissime verus. Nempe in semet ipso habet Deus eam veritatem, quam patefacere ac confirmare jurando voluit. ejusmodi igitur divini nominis, vel divinae vi-

tae (Ezech. XXXIII, 11.) certe sui ipsius (Gen. XXII, 16. al.) obtestatione non formaliter solum confirmat Deus id, quod dicit, quasi externo aliquo fidei testimonio apposito, nempe suo, quo quidem sanctius nullum esse possit aut majus, sed ea quidem formalis jurisjurandi auctoritas sustinetur ipsa reali veritatis patefactae natura divinaque necessitate. Quoniam ita veritatem aperit Deus ut est illa in ipso, ideo jurat semet ipsum esse ejus testem ac vindicem, sicuti homines quidem non jurant per sese, sed per Deum, quia Deus et auctor et defensor est veritatis. Ergo si quam veritatem advocata sui nominis majestate sancit Deus, hanc ita comparatam esse docet, ut ne cogitari quidem illa possit aliter. rem indicat maxime necessariam, in ipsa sua natura nempe divina, verissimam. Veluti salutis ordinem ab Ezechiele (l. c.) prophetice descriptum informare tibi aliter non poteris, nisi sanctissimam ipsius Dei notionem abjicere volueris, deleta simul humani generis conditione ethica. Attamen ut Ezechieli quidem ad edendam illam orationem propheticam opus sane erat revelatio divina, sic eorum quoque prophetarum, qui de paganorum futura conversione cecinerunt, sine Dei inspiratione cecinisse mihi quidem nemo videtur. Utriusque vero generis revelationem etiam hanc ob caussam judico fuisse ethicam, non magicam, quia necessaria per semet ipsam erat revelatae rei veritas et nativa sua auctoritate alliciebat quodammodo atque excipiebat prophetici hominis voluntatem liberrimam et intellectum lucidissimum.

Sed prophetica haec salutis, etiam paganis in theocratici foederis consortione paratae, praesensio quum ex unius Dei vivida notione atque ex verissima perfectae religionis conscientia emergat — quamobrem pari utique consonaque lege et suum populum jubet aemulus Deus (Ex. XXXIV, 14. Deut. IV, 24. V, 9. VI, 15. al.) adhaerescere sibi fideliter repodiatis idolis (Ex. XXIII, 32 sq. XXXIV, 12 sqq. Deut. VII, 5 sqq. al.), et paganis promittit aperiendum aliquando cum semet ipso commercium (Jes. XLII, 6—8.) — tum ita comparata haud raro videntur vaticinia in illam quidem sen-

tentiam a prophetis edita, ut innatam vegetae veritati auctoritatem disertius quoque atque expressius prodant. Veluti pagani dicuntur fore ut admirentur non solum incredibilem Dei potentiam sublato brachio erectaque manu, ut ajunt, comprobatam, sed etiam sapientiam et sanctitatem earum legum atque institutorum, quibus Israeliticum potissimum populum insignem esse senserint (Deut. IV, 6 sqq.). Intelligent igitur pagani, ex sancta Dei sede petendam esse justitiam ac virtutem omnem (Mich. IV, 2.). discent invocare ejus Dei nomen, in quo solo esse salutis caussam et ipsi perceperint (Jo. III, 5). Et vero paganos ut vult Deus appetere aeternam suam veritatem ac salutem, denegatam nemini, sic suum quidem populum ita instituit, ut peculiarem suam haereditatem servet atque offerat universis gentibus. Hanc enim ipsam ob caussam, quia servus Dei est atque haeres, instar luminis esse debet paganis. sive enim universus populus dicitur sive Messias, theocraticae civitatis princeps ac singularis omnium earum promissionum, quae sancto populo sunt datae, haeres atque minister, certe ita solummodo praerogativo suo cum Deo commercio frui debet Israel, ut fraternitatis vinculo paganos quoque ipse velit sibi copulare, et Messias quidem hac solummodo lege perpetrare debet haereditariam in populo sancto promissionem [29]), ut veritatis

29) Quamobrem in Paulina quoque Abrahamiticarum promissionum interpretatione (Gal. III, 16) divinam video inesse veritatem, etiamsi dubia mihi quidem sit humanae disciplinae auctoritas. certe in apostolo, ut in homine inspirato quidem at non omnibus numeris absoluto, sentio inspirationis conditionem ordinatam, paream, ethicam. Primum enim quoniam per Christum et voluit effici promissionem Deus et effecta illa est, rectissime fidei lege adstrinxit, non operum lege, Christianos, quos quidem hanc ob caussam rectissime dixit esse semen Abrahami, quia sint in Christo (v. 28). deinde vero quod singularem hebraici vocabuli זרע formam tanquam significationem unius Christi advocaverit et quod passivo sensu intellexerit formas nifal et hitpael, id quidem, nisi typice explicare volueris hebraicas orationes, non sine errore dictum esse ab apostolo judicabis. In qua re nullam

vitaeque divinae consortionem, necessario generalem, aperiat omnibus (Jes. XLII, 1. 6. XLIX, 6. LX, 1 sqq. Ps. II, 8. LXX, 11. 17. al.). Cujus quidem exspectationis altissimum fundamentum conditionemque principalem nemo atque significavit celebrius quam Micha (V, 2), si recte visus sit nonnullis interpretibus intellexisse paganos, quum „reliquos Messiae fratres" (יתר אחיו) diceret redituros esse ad filios Israelis. at vero, quoniam vox יתר haudquaquam potest exhibere notionem vocabuli שאר vel שארית, quum „filii" potius „Israelis" obtineant locum indelebilium theocraticae civitatis reliquiarum, etiamsi possint hanc quidem ob caussam designari nomine יתר אחיו fratres ii Messiae, qui extra fratres Israeliticos supersint (coll. l. Joh. X, 16.), videlicet ex universali humani generis familia nati atque in eandem communis salutis haereditatem a Deo provocati: tamen orationis propheticae contextus simplicior vix sustinet singularem illam atque inusitatam sententiam.

β. DE HISTORIAE AUCTORITATE.

Sed jam satis sit disputasse, in prophetica vaticinia concipienda ethice atque edenda quantum valuisse videatur ipsa revelatae veritatis indoles. cujus quidem rei tot sunt in propheticis orationibus omnibus exempla, quot sunt divinae veritatis, utique in semet ipsa necessariae ac certissimae, testimonia. In hanc vero sententiam si quid recte disseruisse atque idoneis exemplis illustrasse videamur, id et confirmabitur satius reliqua nostra disputatione et facilierem simul illam ac certiorem, fundamento quasi firme posito, efficiet. Jam enim ad eum disputationis locum venimus (cf. p. 88 sq.), in quo historiae quidem in re Veteris Testamenti prophetica auctoritas ethica describenda est, siquidem ex collatis a Deo in populum suum beneficiis et ex suppliciis de populo infideli sumtis, certe ex comprobata semper sancti foederis lege

ego sane video impietatem. neque enim ita inspirabantur apostoli, ut interpretum perfectam artem doceret eos Spiritus.

recipere debebant prophetae vaticiniorum caussam materiemque ethicam, non sine libertate aut intelligentia sua. Ipsi enim prophetae cives erant theocratiae et fraterna quadam cura suum populum amplectebantur, haud dissimiles nimirum summi illius prophetae, quem ex universo fratrum grege proditurum esse dixit Deus Mosi (Deut. XVIII, 15. 18), cujusque fratres appellavit Micha (V, 2) theocratici foederis socios omnes. Eadem igitur cum universo populo lege adstricti, ejusdem cum Deo commercii consortes, eadem promissionum haereditate instructi parte fieri non potuit, quin sentirent et ipsi quidquid theocratica universi populi civitas sive mali sive boni volente Deo experiretur. Etenim instar pastorum vel custodum vel speculatorum (רועים, שומרים, צופים, מצפים) Deus in populo suo instituit prophetas (Jes. LII, 8. LXI, 10. LXII, 6. Jer. VI, 17. 27. Ezech. III, 17 sqq. XXXII, 2 sqq. Sach. XI, 7 sqq. 15 sqq. al.), qui et populi, quasi gregis, conditionem explorantes et divinae mentis revelationem pari cura exspectantes (Hab. II, 1 sqq. Am. III, 3—6. al.) prospicerent imminentia periculo, arguerent mores depravatos, castigarent impietatem atque infidelitatem, annunciarent provocatam sceleribus iracundiam Dei, revocarent ad poenitentiam cives suos atque ad salutis certissime futuraeque consortionem invitarent. Itaque ut compari gaudio efferuntur, sic flere solent cum fratribus suis omnibus (Thr. I sqq.), nec sine dolore ipsi res malas renunciant suis, quum ita Deo visum est (1 Sam. XV, 11), et intercedunt pro illis libenter atque etiam verba precationum miseris haud raro praeeunt (Thr. V, 1 sqq. Mich. VII, 7 sqq. al.). In omnibus vero rebus, sive prosperis sive infaustis, sive sancti populi, sive paganorum, divinae gubernationis expressa vestigia contemplantur ac venerantur, et in universa historia quo apertius vigere vident aeternas Dei leges, nunquam sui dissimiles, eo utique certius et ipsi ex historia discunt et populum jubent discere. Veluti Amosus (IX, 7), quum futurum populi exsilium annunciet, rem multis sane incredibilem, qui praesenti rerum publicarum prosperitate confisi falsorumque prophetarum blan-

dis mendaciis facile decepti (V, 18. VI, 1 sqq.) superbae potius securitati se darent, eam summi Dei depingit potentiam, quam non externae solum nationes, de sedibus suis longe ejectae, sed etiam ipsi experti fuerint, quum Deo duce in destinatam terram relicta Aegypto commigrassent. Duva profecto oratio prophetae, qui cum barbaris invicem sese, prout Deo placuerit, ex patriis sedibus propulsantibus comparet sanctum populum a Deo suo liberatum servitute, defensum in deserto, in felicissimam patriam mirabiliter ductum. Alias enim hac quidem re non eam Dei potentiam illustrant prophetae quae ad efficienda etiam in suo populo saevissima quaeque judicia satis sit valida, sed ita potius ingentem Dei manum, contritis hostibus suos servantis, piae populi recordationi proponere solent, ut laetissimae simul spei caussam et quasi pignus velint in illa quidem historia celebrari. in hunc enim modum prima exsultantis quodammodo Mosis carmina (Ex. XV. Deut. XXXII) in omnium fere prophetarum orationibus resonant (Ps. LXXI, 12 sqq. CVI, 7 sqq. Jes. X, 24. 26. Mich. VI, 4 sqq. al.). Scilicet deletis Aegyptiis servatisque sui populi civibus eam promissionem comprobavit Deus, qua sustineri semper atque erigi eos voluit, quos in suam communionem semel sibi elegerit. Itaque et infideli atque ingrato populo incredibilia illa divinae gratiae documenta saepe prophetae offerunt, ut pudoris incitamenta saeviorisque poenae caussas (Am. II, 10. III, 1 sqq. al.), atque etiam exsilium minitantur denuo in Aegypto subeundum (Deut. XXVIII, 68), et servandis sancti populi reliquiis in extrema quoque salutarium castigationum acerbitate lucidissimum illud gubernationis divinae exemplum consolationis caussa proponunt. Nunquam enim in suum populum pariter ac in superbos hostes Deus animadvertet. Scilicet in Aegyptia quidem illa historia non minus viget eadem divini regiminis regula, quam in Sodomitarum internecione conspicuam esse disertis verbis prophetae docent (Hos. XI, 8. Jes. I, 9 sq. III, 9. cf. p. 104). nefariam enim illam civitatem omnique flagitio contaminatam quum eversam justissimo Dei judicio

videant prophetae, id quidem dubium esse non potest, quin superbiae similis impietas incestorumque morum aequalis culpa comparem vindicis Dei severitatem contrahat sive in Babylonios (Jes. XIII, 19) Idumaeos (Jer. XLIX, 17 sqq.) Moabitas atque Ammonitas (Seph. II, 9), sive in ipsum Dei electum gregem (Deut. XXIX, 22. Am. IV, 11. Jer. XXIII, 14. Ezech. XVI, 46 sqq.). at vero illos quidem etiamsi deleat prorsus Deus, tamen ex castigato suo populo et tantum non absumto facit ut supersint reliquiae aliquae, nunquam plane absumendae. Et vero promptius quoque ante oculos quasi habebant constantissimae justitiae divinae exemplum omnes prophetae ii, qui post eversionem Samaritani regni fratribus Judaicis similem interitum, nempe simili provocatum impietate, annunciarent. Veluti Ezechiel expressis verbis utriusque regni, quasi geminarum sororum, comparat desperatam nequitiam, comparat necessarium supplicium (XXIII, 1 sqq.). Atque etiam Jeremja (III, 6 sqq.) simili industria septentrionalis regni infidelitatem justumque interitum non solum reputat secum ipse, verum etiam suis civibus proponit ut apertissimum divinae justitiae exemplum ejusque poenae quae necessario debeat peti ab omnibus, qui reverti sancta cum poenitentia in foederis divini communionem noluerint. Quid quod ex ipsius populi grege si qui excelluant pietate homines, tam clare et ipsi intelligunt divinae mentis in constanti theocraticae civitatis historia et vita testimonia edita, ut ad hanc quidem regulam firmissimam revocent interdum errantium civium prava consilia (Jer. XXVI, 18 sqq.). Etsi eorum quidem piorum hominum religiosa cautio (l. c. v. 19.) quo longius distat a prophetica Jeremjae auctoritate (v. 2 sq.), eo lucidius, ut puto, apparet et quae par sit in utraque parte sanctae historiae notitia legumque divinarum semper sibi utique constantium, experientia theocratica, et ex aequali ea atque communi prophetici oratoris audientiumque civium conditione quam disparem effectum et quasi fructum procreaverit Dei Spiritus, quippe qui in Jeremja quidem propheticae excellentiae ac vaticinii edendi esset auctor,

in civibus illis non item. Et maximè vero id quod dico elucere mihi quidem videtur, quum aut nolunt probe intelligere homines, imprimis pseudoprophetae, antiquiorem sancti populi historiam atque etiam praesentium rerum conditionem, aut in pravam sententiam apertis illis divinae gubernationis documentis abutuntur. Etenim mulcere quidem solent ignavorum civium auriculas superba atque impia templi, ut divinae sedis, gloriatione (Jer. VII, 4), quoniam nolunt ex antiquissimae sedis interitu discere, quam facile possit Deus, deserto hoc quidem templo novum sibi parare habitationis locum (Jer. VII, 12 sqq. XXVI, 6). Et praesentem verò rerum publicarum prosperitatem, quoniam neque ex antiquiore historia neque ex recentioribus divinae justitiae exemplis volunt intelligere, quam nihili sint opes cum impietate collectae, cum superbia defensae et auctae, cum lascivia ac libidine absumtae, neque vero volunt sentire, quantum immineat periculum quamque prope absit ruina, siquidem augescente hostium undique copia atque efflorescentibus Assyriorum et Chaldaeorum potissimum rebus corrodebatur quasi interna labe civitas sancta, sancto nomine indigna — eam, inquam, speciem prosperitatis fallacemque superbae securitatis caussam amant quidem pseudoprophetae offerre populo ac declamationum suarum blandimentis exornare (Am. VI, 2. Jer. VI, 14. XXVII, 6 sqq. Cf. p. 105), at vero incorrupti divinae legis interpretes et rerum domesticarum externarumque omnium exploratores prudentes ac judices aequi melius sane intelligunt latentem sub speciosa opulentia populi miseriam, et praesentiunt in conditionibus sive civium suorum sive hostium vicinorum praesentibus futuram scelerati populi castigationem hostiumque promtum ministerium (Am. III, 11 sqq. IV, 1 sqq. V, 18 sqq. VI, 1 sqq. Mich. I, 4 sqq. II, 1 sqq. III, 1 sqq. IV, 10. Jes. X, 5 sqq. al.). Quam ob rem quum falsi quidem prophetae in urgente rerum angustia suadere soleant apud populum facile annuentem foedera sive cum Assyriis, sive cum Aegyptiis sive cum Syris facienda, contra qui divinam intus sentiunt institutionem nec hebete so-

lummodo humanae prudentiae judicio res politicas quoque ponderant, mirum sane est quam in eorum quidem prophetarum orationibus appareat acutum atque idoneum de hisce rebus judicium, et accuratissima ac certissima temporum observatione atque exploratione sustentatum, et ad sanctissimam divinae legis, qua quidem universa theocraticae civitatis vita continetur, regulam conformatum, et cum clarissima hominum intelligentia liberrimoque assensu, ethica denique ratione ex divini Spiritus instinctu, nunquam utique non illuminantis prophetas, profectum. Itaque Hoseas quidem incusat populum Israeliticum, quod deserto Deo, tanquam marito, in adulterium incurrat sive cum Assyriis sive cum Aegyptiis committendum (VII, 11. VIII, 1 sqq. IX, 1 sqq. XII, 2 sqq.), porro Jesaja simili judicio damnat foedus cum Aegyptiis adversus Assyrios ineundum (XXX, 1 sqq. XXX, 1 sqq.). et vero Chananja propheta diras obnunciat Asae regi (2 Chron. XVI, 7 sqq.), quod Dei quidem auxilio neglecto Syrorum potius ambierit societatem. Et alii aliter. certe in ejusmodi prophetica virtutis exemplis omnibus distinctam aliquam ac prudentem temporum cognitionem et reputationem video cum acutissimo theocratici ordinis legisque divinae sensu ita copulatam, ut ex gemina hac conditione historica et ethica ethice, non magice, ortas esse judicem in prophetis, instinctis utique divinitus atque collustratis, prophetica de illis quidem rebus orationes. Scilicet quum nullum profecto auxilium peti possit ab iis, quos quidem ipsos indigere maxime auxilio prophetae viderant (Jes. XXXVI, 6), quorumque socii idem solummodo periculum et communem interitum debeant expectare, tum in populi impia desperatione necessaria inesse debet infortunii caussa. In ipso delicto latet poena. si quis enim ventum severit, quid mirum quod procellam metat (Hos. VIII, 7)? Itaque si deserto suo Deo electus Dei populus semet ipsum velit prostituere sive Aegyptiis sive Assyriis (Ez. XVI, 15 sqq. XXIII, sqq. cf. Exod. XXIII, 32. XXXIV, 12. Deut. VII, 2), necessum profecto est, ut instar uxeris infidelis repudietur a Deo et pro-

datur adulteris, et in ipso adulterio luat adulterii poenam (Hos. l. c.). Etenim ex solo Deo debet sanctus populus petere vitam et salutem omnem (Jer. XVII, 13). Deo igitur relicto, qui quam satis sit ad suum populum defendendum et antiquis et recentioribus majestatis suae documentis saepe editis comprobavit (2 Chron. XVI, 8), nullum potest esse apud homines refugium, et maledici potius debet iis, qui suis opibus et armis vel hominum quorumlibet subsidiis confidant, summi Dei certissima gratia praesentique auxilio confidere nolint.

Etsi vero jam satis apparet, in omnibus prophetarum orationibus, quaecunque habitae sunt de rebus in populo sancto a Deo sive gestis antea sive gerendis deinceps, quantum valuerit studiosa temporum exploratio communisque theocraticae historiae et vitae experientia, tamen unum adhuc in hunc quidem locum adhibebo exemplum omnium fere lautissimum, propheticas dico de futuro populi exsilio comminationes. Etenim ut brevi rem praecidam, quae caussa, inquam, est, cur aliter futurum exsilium praedicant Hoseas et Amosus, aliter Jesaja et Michas, aliter Jeremja et Ezechiel? Historica, crede mihi, caussa est atque ethica. historica enim propheticarum orationum materies non eadem erat semper, neque vero eadem semper propheticae inspirationis species, etsi eadem semper erat et communis omnium prophetarum divina veritas atque auctoritas. Quodsi in hoc quidem loco apparuerit, certum semper esse atque ordinatum prophetiarum cursum, humanis quoque hominum prophetantium conditionibus cohibitum, spero fore ut in aliis quoque propheticae virtutis exemplis, veluti in vaticiniis messianis, similem investigare liceat ordinem ac progressum historicum atque ethicum. Hanc enim rem in prophetis quidem inquiri quum vetet Hengstenbergius (l. c. I. p. 205 sq.), qui singulis prophetis a Deo immediate suam inspirationem condonatam fuisse contendit, tamen parum sibi constat vir doctus, quoniam non negat et in singulis fuisse diversam recipiendi divinas revelationes facultatem et diversam fuisse

saepe audientium civium indigentiam. Sed in his quidem, quae dico, prophetarum de futuro exsilio vaticiniis expressum quendam facile conspicis ordinem, certis singulorum conditionibus atque occasionibus historicis effectum. Prima enim hujusmodi minationis vestigia (Lev. XXVI, 33 sqq. Deut. XXVIII, 64. 68. Cf. p. 116) quum generalem solummodo prodant sententiam eam, quae tum laetis promissionibus, de sempiterna beatae terrae inhabitatione datis, compari ratione opposita, tum ad recentem servitutis Aegyptiae recordationem conformata esse videatur, deinde prophetae omnes, ut legis sacrosanctae interpretes, quo apertius et foederis socios ruere in flagitia, contemta promissionum ac minationum haereditate, et vicinas gentes, imprimis Assyrios et Chaldaeos, in majorem semper opulentiam evehi intelligunt, eo certius singuli et distinctius hostes eos significant, immo vero nominant, qui a Deo parati sint ad efficiendam populi Israelitici et Judaici meritam castigationem. Apud Hoseam enim quum dubium adhuc esse quodammodo videatur, utrum in Aegyptum an in Assyriam potius sua certe sancta sede indignus populus (IX, 3) ejiciendus sit, Amosus quidem nequiquam dubitat, quin Assyrii futuri sint ejus judicii ministri (Am. V, 27. VI, 14), quod incredibilibus flagitiis provocatum per hostium externorum arma perpetrari debeat (II, 13 sqq. III, 11 sqq. IV, 1 sqq. IX, 3 sqq.). Deinde vero prophetae subsequentes, quum Israeliticum quidem regnum tributum pendere Assyriis coepisset (2 Reg. XV, 19), et Judaicos reges emere ab Assyriis dato pretio pacem haud puderet (ib. XVI, 7 sqq.), nonne discere debebant ex tristissimo rerum praesentium conditione, quinam hostes jamjam irruerent quasi in afflictas Davidici regni provincias, interna quoque hostilitate diremtas? Post eversum autem regnum Samaritanum propter desperatam impietatem suam legesque divini foederis semper violatas (2 Reg. XVIII, 12. Hos. VIII, 1), quum Judaicum quidem regnum similium omnino scelerum quam poenam luere deberet promptissimo et clarissimo exemplo esset commonstratum, hinc omnes ejus quidem tem-

poris prophetae vaticiniorum materiem ac regulam non poterant non petere (Jes. I, 7. III, 8. 25 sq. VII, 17 sqq. X, 5 sqq. Mich. I sqq. Jer. III, 7 sqq. VI, 22. al.), maxime vero ii, qui Chaldaeorum superbam opulentiam, ex rerum Assyriarum ruina natam, devicto apud Circesium Aegyptiorum exercitu confirmatam, jam ipsi experti essent, quum Nebucadnezar primum Judaicam terram et urbem in ditionem redegisset et cum Jojachino rege aliquam civium partem in exilium secum traxisset (2 Reg. XXIV, 1. Es. VII, 1 sqq. XII, 1 sqq. Jer. XXI sqq.). Sed in hac quidem disputatione, quum historicas defendam vaticiniorum propheticorum conditiones, longum sane est repetere, quem locum esse judicem inspirationis divinae. Eam enim hanc ipsam ob caussam video ethicam esse, non magicam, quia ad certas humanae intelligentiae ac voluntatis dispositiones fuerit applicata. Scilicet prophetae quidem, quoniam ipsi intus sentiebant divini Spiritus institutionem, prophetice observabant divina in rebus omnibus vestigia et indicabant civibus suis prophetice, quorum quidem omnium etsi nemo fere non conspiciebat suis oculis easdem res, quae a prophetis in vaticiniorum adhibebantur materiem, tamen quoniam in prophetis solummodo vigebat expressa quaedam Dei auctoritas, prophetae quidem sine errore intelligebant temporum conditiones et aperiebant civibus, at vero cives, propter communem divinae legis conscientiam et communem theocraticae historiae haereditatem et praesentium rerum experientiam communem, percipere quidem ethice debebant propheticas prophetarum orationes, effingere ipsi vaticinia aut arrogare sibi propheticam dignitatem neutiquam poterant. Quid multa? Pariter judico de prophetis ex historia necessario discentibus ac de apostolis, qui hac solummodo conditione accipere Spiritum sanctum et testes esse Jesu Christi poterant, ut suis oculis ipsum illum vidissent suisque auribus ipsius vivam vocem excepissent (Act. II, 21 sq. 1 Joh. I, 1).

Sed ex historiae quidem lucidis exemplis rerumque praesentium aperta conditione quomodo discere debuerint pro-

phetae atque orationum suarum vere propheticarum materiem et caussam et regulam volente Deo et adjuvante sumere, satis hacce disputatione mihi videor illustravisse. jam igitur spinosior aliquanto exoritur quaestio, antea (p. 89) dicta, de historicis propheticarum orationum exemplaribus iis, quae typicam quidem habeant naturam, attamen, quoniam non mere aut simpliciter typica sunt, genuino suo temperamento et historica comprobatione efferantur supra communem typicae significationis notam et humanum prophetarum intellectum, collustratum utique a Deo, non prorsus fugiant et cum maxima sane auctoritate adhiberi saepe soleant a prophetis in eloquia sua et vaticinia. Hujusmodi vero exemplaria typica, quae, quoniam prophetici simul aliquid admixtum habent, etiam ante oppositum antitypum propheticam veterum prophetarum virtutem excitent et adjuvent, video tria, primum Melchisedecum regem sacerdotalem (Gen. XIV, 18 sqq.), cujus persona atque auctoritas a Davide propheta in describendam futuri Messiae dignitatem et regiam et sacerdotalem est adhibita (Ps. CX, 4. cf. Hebr. V, 6. 10. VI, 20). breviter quidem psalmista ac subobscure locutus est, sicuti necessum est in typicis significationibus, copiosius vero atque expressius, post apertum scilicet antitypum Christum, is, qui epistolam ad Hebraeos composuit (Hebr. VII, 1 sqq.). certe Davides quoque typicam regis sacerdotisque personam ut prophetici alicujus vaticinii occasionem intellexit ac proposuit. Deinde vero virginem a Jesaja dictam (Jes. VII, 14.) ejusque filium in hunc modum advocasse Micha (V, 2) mihi quidem videtur, ut ex oratione illâ Jesajae typica simul et prophetica (cf. Jes. VII, 15 sqq. VIII, 1 sqq. IX, 1 sqq.), et quid discere in suumque usum adhibere debuerit et quid parum intellectum, propter typicam potius orationis naturam, repetere solummodo potuerit ac conservare atque in haereditatem sancti populi tradere, appareat. Denique in Davide potissimum ejusque regno et historia et persona ea continetur typica auctoritas, quae et ipsius propheticum spiritum collustret atque erigat, et omnes prophetas posteriores

in delineanda futuri Messiae imagine miris modis adjuvet. Jam igitur in tribus hisce exemplis quid valuerit typica significatio, prophetico scilicet temperamento quasi illustrata ipsa atque in ethicum rei propheticae adjumentum exculta, videamus. Interim de oratione Jesajae, quem Micha secutus est, in subsequenti disputationis nostrae loco agere satius placuit. nunc de Davide et de Melchisedeco, quem ipse Davides prophetice dixit, disseram.

Typorum quidem sive realium sive verbalium, si qui puri sint, nullam esse posse ante patefactum antitypum intelligentiam nullumque apud prophetas usum, diximus. Quodsi recte ita nobis visum est, in Davide quidem ipso et Davidico regno Davidisque filio viget sane typica aliqua futurarum rerum futurique Messiae potissimum prolusio, ab auctoribus Novi Testamenti saepe illustrata, ante eam quidem aetatem ne prophetis quidem veteribus non obscura, tamen quoniam et prophetae veteres saepe ad Davidem provocant et scriptores apostolici non typice solum, verum etiam prophetice atque expressis vaticiniis dictum fuisse Christum ab ipso Davide solent auctore Jesu Christo (Matth. XXII, 43 sqq.) defendere (Hebr. I, 5. 13), ideo, inquam, ea fuisse debet Davidici regni institutio, ut prophetica sua innata virtute primum exspectationem prophetarum incitaret vaticiniorumque materiem subministraret, deinde in Christo, ut in fine vaticiniorum, compleretur. Veluti Petrus (Act. II, 27 sqq.) et Paulus (ib. XIII, 35 sqq.) apostoli ita utuntur voce Davidis, scilicet prophetae (II, 30), ut typicam quidem commonstrent orationis Davidicae (Ps. XVI, 10) sententiam, tamen ex ipsius Davidis natura humana et communi exitu efficiant simul majorem quendam verborum illorum sensum et eum, qui prophetici vaticinii haud ita dissimilis sit. Etenim quum Davides sperasset quidem fore ut in praesenti rerum angustia adjuvaret ipsum Deus atque servaret ab imminenti necis discrimine, typica sane arte utuntur apostoli, quod resurrectionem Jesu Christi, occisi quidem illius at revocandi ex morte, significatam fuisse a Davide judicant. attamen ipsa

illa Davidis prophetica vox suadere quodammodo ac docere videtur hanc potissimum interpretationem, quoniam Davides quidem abiit utique in mortem mansitque in sepulcro, alter David antitypus non item. Similiter typici aliquid inesse debet in celeberrimo illo: „Tu es meus filius, hodie equidem generavi te“ (Ps. II, 7). nam in diversam quandam sententiam eandem illam orationem adhibent Paulus apostolus (Act. XIII, 33) et auctor epistolae ad Hebraeos datae (Hebr. I, 5). Hic enim quum divinam Jesu Christi, ut filii aeterni, majestatem indicari velit ea voce prophetica, contra Paulus ingeniosa vero arte generationem in Psalmo dictam interpretatur ita, ut vestigium aperiatur futurae Christi resurrectionis. Etsi haec quoque Pauli disciplina satis concordat et cum epistola ad Hebraeos scripta et cum typica propheticae vocis natura. nam hac ipsa re, si audias apostolum (Rom. I, 4), comprobatus est, ut filius Dei, Jesus Christus, quod a mortuis fuit resuscitatus. et vero rex ille theocraticus, sive ipse Davides sive ejus filius, qui dicitur a Deo in Psalmo, ut typus sit Messiae, non injuste, opinor, in utramque sententiam sancta oratio advocatur. Ex altera autem parte prophetae quoque Veteris Testamenti, ipsius scilicet regis prophetici auctoritatem secuti, saepe solent futuram theocraticae civitatis sortem et perficiendam antiquarum promissionum haereditatem omnem et praecipue Messiae venturi effigiem ad Davidici regni exemplar describere, atque in eum omnino modum Davidis personam, historiam, orationes, Davidique ejusque filio datas promissiones illustrare et in vaticinia sua adhibere, ut res illae Davidicae omnes non typicae solummodo esse appareant, sed ita potius comparatae atque dispositae a Deo, ut quam sint typicae innata sua natura prodant quodammodo et in prophetarum intelligentiam ipsae incurrant, itaque vaticiniorum propheticorum normam aliquam et materiem et occasionem exhibeant historicam atque ethicam. In electo enim servo suo Davide (Ps. LXXXIX, 21. 1 Sam. XVI, 13 sqq.) quoniam semel Deus promissiones, suo populo primum datas, tanquam in uno haerede colloca-

verat (2 Sam. VII, 8 sqq. cf. 1 Chron. XXVIII, 2 sqq. Ps. XVIII. al.), necesse sane erat, ut ita resonarent quasi in omnibus spei theocraticae documentis prophetice editis. Et primum quidem ipse Davides, quomodo se erexerit promissionibus sibi divinitus datis, in omnibus orationibus suis et Psalmis testatur (2 Sam. XXIII, 1 sqq. . 1 Chron. XXVIII, 2 sqq.), atque etiam ex semet ipso discit exspectare filium, patre majorem, non Salomonem, sed eum, cujus testis solummodo typicus et quasi pignus sit Salomo, Messiam (Ps. CX. Cf. Ps. II). Deinde vero Salomo, ut filius cum patre electus ac benedictionibus ornatus, ad id solet provocare, quod non promissum solum sit suo patri sibique ipsi, verum etiam comprobatum sancto patri ratumque ipsi factum (1 Reg. VIII, 12 sqq. 23 sqq. Ps. LXXII). Porro si qui ejusdem aetatis prophetici viri repetunt antiquas de duratione theocraticae civitatis sempiterna atque de paganorum futura conversione ac salute suisque vaticiniis adornant, jam Davidicum laudare solent regnum, ut columen rerum theocraticarum a Deo munitum, et Davidis regiam familiam praedicant fere gloriosae salutis caussam ac ministram (Ps. XLV. LXXXIX). Denique omnium, qui postea exstiterunt, prophetarum nemo fere non respexit ad promissiones Davidi gratiose a Deo ac firme datas (Ps. LXXXIX, 50. Jes. LIII, 3.). Veluti regnum Davidicum turpi ac tristi discordia divisum non dubitat Amosus (IX, 11) quin reficietur, quoniam Davidis id quidem tugurium sit. Et si quid felicitatis promittunt prophetae purgato populo sanctisque theocratiae reliquiis, sive veritatem praedicant et justitiam in civitate Dei restaurandam, sive futuram populi victoriam securamque pacem depingunt, sive inimicos omnes gloriantur aut exstinctos aut in beatam veritatis et sanctitatis communionem receptos, in hujuscemodi, inquam, vaticiniis omnibus ea semper est Davidici exemplaris auctoritas (Hos. III, 5. II, 2. Jes. XI, 1 sqq. Mich. V, 1 sqq. Jer. XXIII, 5. XXX, 9. XXXIII, 15. Ez. XXXIV, 23 sq. XXXVII sq. al.), quam non recte typica solummodo notione absolutam esse dixeris, sed quae satius viguerit atque di-

stinctius. Typicam enim Davidici regni significationem typicamque promissionum Davidi ejusque filio divinitus datarum sententiam ne poterant quidem percipere veteres prophetae, neque Davides ipse, neque ii, qui illum secuti sunt, nisi obscuriora typicarum rerum et personarum et orationum signa temperata quasi fuissent prophetice. Quid enim? non alterum solum annunciant prophetae Davidem, regemque Davidis similem, tamquam antitypum, sed ex certa Davidis familia atque ex patria Davidis urbe oriturum esse illum expressis vaticiniis praedicunt. Quae quidem res quomodo in typicam notionem cadere possit, ego sane non video. Sed jam quid mihi maxime placeat dicam.

Davides vero cum benedicto filio Salomone quod non typice solum praeformaverit futurum divini populi regem, salutis antiquitus promissae auctorem personalem, Davidis similem, Messiam, sed etiam primum ipse, deinde prophetae ad unum fere omnes, Novi quidem Testamenti scriptoribus approbantibus, quod ex certa Davidis familia profecturum exspectaverint ultimum ac verissimum Davidicarum promissionum haeredem et ministrum, ejus, inquam, rei duas simul caussas fuisse sentio historicas atque ethicas arctissime inter sese copulatas. Primum enim, sicut ipse Davides non sine prophetica sua intelligentia dixit (1 Chron. XXVIII, 4), ita hanc potissimum familiam, ex Judaica tribu ortam, elegit sibi Deus, ut jam Davidicae quidem genti concederetur primatus ille regius, quem cuncta tribus Judaica dudum acceperat ex prophetica moribundi patris benedictione (Gen. XLIX, 10), acceptumque volente Deo cum victoria et gloria obtinuerat (Jud. I, 1 sqq. XX, 18 sqq.). itaque ipsa Davidici regni institutio, a Deo cum prophetarum ministerio facta et magnis promissionibus adornata (2 Sam. VII, 8 sqq.), quo apertius efficiebat quidem atque complebat antiquissimum illud de Judaicae tribus excellentia vaticinium, eo certius confirmabat rursus atque excitabat exspectationem fore ut per hanc tandem Davidicam familiam exsequeretur Deus universam earum promissionum summam, quibus ipsa civitas theocratica

maxime contineretur. Jam enim in Davide ejusque regia familia ita versabatur cuncti populi sperata haereditas, ut ipsi illi essent a Deo ad efficiendam sancti populi felicitatem et paganis quoque aperiendam destinati. Deinde vero quum hostibus devictis omnibus beatam terram occupasset populus et Deus quidem, extructo templo, certam suam sedem in media civitate sua posuisset, habebant profecto firmissimum praesentis semper Dei documentum promtique auxilii pignus quasi a Deo datum, cum sempiterno Davidis solio sanctissime junctum. Utraque enim res quam sit necessaria quamque sit altera cum altera nativo nexu copulata brevissime ac gravissime dicitur in secundo Psalmo (v. 6), in quo hanc ob caussam sive Davidi, sive Salomoni, sive regi alicui posteriori, sive Messiae, nunc enim id quidem nil refert, certe theocratico et Davidico sancti populi regi confirmatur paganarum quoque gentium promissa semel dominatio, quia ab ipso Deo fuerit unctus atque in regiam majestatem evectus, et quidem in sancto Dei monte. Scilicet omnis theocratici populi felicitas in foederis divini communione posita erat atque in praesentis Dei gratia, quam cum pietate ac fidelitate servare debebant. necesse igitur erat, ut hac solummodo lege regnum a Deo institutum, Saulo primum Benjaminitae deinceps Davidi Judaico commissum, caussa esset et quasi instrumentum, quo efficeretur theocratica sancti populi felicitas effectaque offerretur etiam paganis (Ps. LXXII, 17 sqq. XXII, 28 sqq. XVIII, 44. 50 sq.); si Dei mandata fideliter reges observassent divinique foederis sanctissimas conditiones religiose secuti ipsi populum quoque obsequium cum pietate semper praestandum docuissent. In hanc enim sententiam et accepit Davides, post rejectum a Deo impium Saulum, cum donato regno promissiones divinas, et tradidit Salomoni. neque vero aliter Davidicum regnum a prophetis celebratum est (cf. 2 Sam. VII, 12 sqq. XII, 9 sqq. 1 Reg. II, 2 sqq. VIII, 23 sqq. 1 Chron. XXII, 13 sqq. Ps. II, 6 sqq. LXVIII, 30 sqq. LXXII, 1 sqq. LXXXIX, 25 sqq. al.). Quodsi igitur latet ac viget in typicis rerum Davidicarum significa-

tionibus ac prolusionibus insita atque innata aliqua auctoritas, quae typos quidem illos collustret et ultra communem simplicium typorum ordinem efferat et tanquam historica exempla in prophetarum, qui postea de Messia praedixerunt, usum exornet, hujus quidem rei caussa in ipsam Davidici regni naturam cadere debet, ut institutum primum a Deo fuit ac certissimis promissionibus ornatum, deinde adjutum et defensum semper et cum templo exaedificato compositum. Regnum enim, quod post Saulum remotum excepit Davides, non improbante Deo, sicuti Gideonis aetate importunus populus rem egerat (Jud. VIII, 22 sqq.), sed volente Deo per prophetam Samuelem fuerat conditum. Etenim Gideonem quidem quum propter virtutem et fortitudinem bellis feliciter gestis comprobatam vellent regia potestate ornare, non recte profecto honorabant hominem illum, siquidem non satis esse videbatur coelestis atque aeternus populi rex ad ferendum promptissimum semper auxilium. at vero postea (1 Sam. VIII, 1 sqq.) quum Samuel quidem confectus esset senectute, filii autem ejus indigni essent, qui sanctum Dei populum judicarent, nonne ipse Deus res ita disponebat, ut deberet populus praesidem petere ac regem, nempe dudum promissum (Gen. XLIX, 10. cf. Num. XXIV, 17. Deut. XVII, 14 sqq.) atque etiam a prophetis magno cum desiderio exspectatum (1 Sam. II, 10)? Jam enim theocratiae cives quia nullum prorsus in semet ipsis videbant praesidium, ad Deum potius suum supplices intercedente propheta confugiebant, et quem a summo suo domino vicarium quasi regem cum pietate petebant, eum per sanctas prophetae manus sine Dei invidia, immo vero adjectis promissionibus ac benedictionibus accipiebant (1 Sam. VIII, 1 sqq. IX, 16. XIII, 13. Etsi cum hisce talibus locis quomodo consonent loci VIII, 6—24. X, 17 sqq. XII, 7 sqq. videant viri critici. Cf. Thenii comment. in ll. cc. et p. XVIII. Ewald, Gesch. d. Volkes Isr. II. 1845. p. 450). Voluit sane Deus eo quidem tempore regiam condere in sua civitate dignitatem (cf. Act. XIII, 21), quam quidem indigno Saulo Benjaminitae detractam mirabiliter contulit in Davidem, ser-

vum suum dilectum, ex Judaica tribu natum (1 Sam. XIII, 14. XVI, 12 sqq. 2 Sam. V, 1 sqq. Ps. LXXVIII, 68). Jam igitur Davides, non regio solum oleo, sed Spiritu quoque divino unctus et prophetica virtute imbutus semet ipsum experiebatur cum filio suo promisso haeredem esse factum earum omnium promissionum, quas Deus olim communes quidem illas universi populi universaeque theocratiae maxime proprias in Judaica potissimum tribu collocasset (1 Chron. XXVIII, 4). Itaque ut Davides quidem sibi ipsi filioque suo et regiae suae familiae benedici sentit non propter semet ipsum, sed propter electum Dei populum, ita rursus in suis promissionibus ac benedictionibus universae theocratiae felicitatem contineri haud ignorat (2 Sam. V, 12. VII, 18 sqq. Cf. 1 Reg. VIII, 30 sqq.). Jam enim in uno Davide sive in uno ejus filio comprehenditur quodammodo universae civitatis theocraticae fortuna et spes et dignitas (2 Sam. VII, 14. Ps. LXXXIX, 27. coll. l. Ex. IV, 22. Hos. XI, 1. Deut. XXXII, 18), fratrumque omnium (Deut. XVII, 15) haereditas concredita quasi est singulis regibus, ex Davidis beato semine procreandis, et ita quidem ut per illorum sanctum regnum, vicarium quodammodo et cum divina sede in Sione positum (1 Chron. XXVIII, 5. Ps. XLV, 7 Cf. Ps. II. CX), moderetur Deus suum populum ac tueatur et in promissam felicitatem tandem adducat. Et hac quidem ratione typicam et propheticam Davidis filiique Salomonis naturam effici atque explicari simul judico. Jam enim in personali certo rege conspiciebantur divinae leges, quae in universa theocratia vigebant, et si quid bonarum aut malarum rerum sive Davides sive Salomo experiebatur, id ad universum simul fratrum gregem pertinebat, atque etiam praeformari debebat in historia Davidis et Salomonis futura non civitatis solum theocraticae sors, iisdem semper Dei legibus ordinata, verum etiam personalis ejus regis vita, cujus quidem notionem debebant ipsi, debebant prophetae omnes ex personali Davidis ac Salomonis exemplari, ita scilicet a Deo proposito ac comprobato, haurire. Etenim ut Moses quidem

(Deut. XVIII, 15. de quo loco postea accuratius disputabo) primus omnium prophetarum ex sui ipsius similitudine sumsit ethice futuri Messiae, tanquam prophetae se ipso majoris, notionem personalem, sic Davides mihi quidem videtur in sua persona habuisse ethicam ac certissimam caussam, cur promissiones illas divinas de sempiterno suo semine et regio datas non in uno filio Salomone terminari prophetica cum intelligentia perciperet, sed in longinquum (2 Sam. VII, 19) validas fore illas gloriaretur atque regem aliquem exspectaret, vaticiniisque non typicis annunciaret sui filiique non dissimilem, ex sua stirpe oriturum, sui regni futurum haeredem, ipso patre incredibiliter sublimiorem, Messiam. Hujus enim rei, quum typicis quidem futuri Messiae prolusionibus scateant sane Psalmi prophetarumque libri omnes, celebria nonnulla video in Psalmis exempla edita, a Davide duo (Ps. CX. II), a Salomone unum (Ps. LXXII), in prophetarum libris plura (Jes. XI, 1 sqq. Mich. V, 1 sqq.). Sicut enim Davides primum ipse ex promissionibus sibi suaeque regiae familiae datis (2 Sam. VII, 12 sqq.) sumsit ut propheta materiem atque occasionem edendi vaticinii de filio suo futuro, non Salomone, sed Messia (Ps. CX, 1. II, 12), sic rursus Salomo prophetice didicisse mihi quidem videtur ex benedictionum haereditate a patre tradita (1 Reg. VIII, 25. II, 4), quod de suo quidem futuro filio regio, Messia, vaticinaretur (Ps. LXXII). Et primum quidem in Davidicis illis Psalmis duobus nisi eadem prorsus auctoris conditio fuisse videatur tibi, ut placuit Hofmanno (l. c. I. p. 174), similem certe fuisse eam facile suspicaberis. Pressus enim Davides ab hostibus contra theocraticum ipsius regnum superbe exortis (Ps. II, 1 sqq.) quum semet ipsum erigat certissimis Dei promissionibus atque exsultet quodammodo, quod summum Deum habeat defensorem sui regni cum Dei sancta sede copulati, jam in hunc modum reputat secum, ut propheta, inquam, praeclaram promissionem de universis gentibus subigendis aliquando, immo vero in salutis communionem adhibendis (v. 8 sqq.), ut ex antiquissima hac promissione, nempe theo-

craticae civitatis maxime propria quidem at cum omni futurae felicitatis haereditate Davidi Davidisque regiae familiae concredita, emergat et succrescat quasi gloriosa ejus filii species, quem debeant profecto gentes omnes cum maximo honore venerari (v. 12). Magna vero exspectatio et prophetico rege dignissima, in qua quidem nescio utrum divinam humilius admirer prophetici hominis institutionem, an certius videam humanae in homine prophetico intelligentiae ac libertatis adjumentum. certe sentire mihi videor prophetici vaticinii originem et caussam historicam atque ethicam, magici nil video. Superbientibus enim regibus ac nationum tumultuanti multitudini quum primum quidem semet ipsum opponat suumque firmissimum regnum a Deo stabilitum praesentique auxilio defensum, deinde eum potius filium prophetico vaticinio offert, ad cujus pedes prostratam conspicit quasi omnium gentium universitatem (Ps. CX, 1 sqq.). Sicut enim (Ps. II, 6 sq.) semet ipsum Davides suumque regnum celebrat maxime esse securum, quoniam cum summo Dei imperio commixtum quasi sit, sic jubet sane gentes in futuri filii dominium, si voluerint servari, confugere, jubet simul verum Deum cum timore colere (Ps. II, 11). Similiter vero in Psalmo CX in hunc modum adornat prophetico carmine futurum eum regem, quem dominum suum prophetice dicit ipse (Matth. l. c.), ut et quam similis futurus sit ille praesentis Davidis, et quam longe hunc quidem superet, pariter eluceat. Scilicet ex typica et exemplari potius sui ipsius suique regni similitudine, quae quid valeat in futurum prophetice ipse a Deo doctus intellexit, futuri filii sui et regis ad dextram Dei sedentis sive Dei vice sanctum populum regentis illustrissimam imaginem descripsit. In utroque igitur Psalmo etsi bene sentio, quae sint futurarum rerum indicia typica, in hanc potissimum sententiam a scriptoribus apostolicis non raro illustrata (Act. IV, 25. Hebr. X, 13. I, 13 al.), tamen ex hisce quidem typicis exemplis nasci quodammodo video propheticorum vaticiniorum materiem et caussam et regulam ethicam. Eandem enim infestarum nationum su-

perbiam, quam ipse Davides et sensit et superavit, sentiet profecto et superabit is, quem quidem prophetice dicit ille cum spe fore ut aut contundat nationes aut in beatam Dei civitatem advocet. Etenim critica futurae salutis natura, a prophetis saepius descripta (Mich. V, 6 sqq. Cf. p. 106), eo minus fugit, opinor, propheticum Davidis acumen, quo lucidiora ejus rei ipse saepe expertus est documenta, exortis contra sanctum suum regnum gentibus et devictis. Quodsi Micha quidem Davidicum eum regem, quem prophetico vaticinio annunciat, ab Assyriis defensurum esse pro suae quidem aetatis conditionibus dicit et promittit simul suo populo sanctissimam ex universis gentibus reportandam victoriam, similiter mihi quidem Davides prophetica oratione praenunciasse videtur futuram messiani regis, et filii quidem sui, in omnes nationes auctoritatem. Surgent sane, inquit, inimicae gentes adversus filium istum Dei vice dominantem, at vero aut conterentur, si obedire illi cum religiosa divinarum legum observatione noluerint obstinati (Ps. II, 12. CX, 1. 2. 5 sqq.), aut in felicissimum ejus regnum adhibebuntur et ab ipso, tanquam sacerdote (Ps. CX, 4), ad Deum deducentur. Nam quum universa quidem theocratica civitas et regia sit et sacerdotalis (Ex. XIX, 6. Cf. p. 107 sqq.), tum maxime is, qui ex regio Davidis semine ortus, aperiet paganis divinam veritatem salutisque consortionem, illis quoque a Deo destinatam ac promissam antiquitus. Quam ob rem Melchisedeci similem fore Messiam, ad typicum regis illius sacerdotalis exemplar imagine descripta, prophetice dixit, eadem fere arte usus, quam in Maleachiae eo vaticinio admiror, quo necessarium Messiae praecursorem Eliam appellavit (Mal. III, 23). Quoniam enim rex ille sacerdos idem erat (Gen. XIV, 18) summi numinis, praefigurabat utique, volente Deo, sacerdotalem eam Davidici regis auctoritatem, quam universo sancti populi gregi primum condonatam (Ex. l. c.), in uno Davide ejusque filio futuro collocavit postea et quasi comprehendit. Neque enim in Aaronitici sacerdotii notionem cadere potuit regium illud sacerdotium, quod praeformatum

typice in Melchisedeco universae populi sancti civitati fuerat commissum (Ex. l. c.), non sine suo ordine sacerdotali, nempe Aaronitico, conditae. Sacerdotes enim Aaronitici ita erant instituti, ut ipsius sancti populi preces ac victimas offerrent Deo, suumque populum in divini foederis communione retinerent. at vero cives quidem theocratiae ideo omnes erant et reges et sacerdotes, quia et dominari in orbem terrarum debebant et divinam veritatem ac salutem patefacere universo mundo. Sed in his quidem Psalmis quum Davides gloriosam futuri sui filii imaginem prophetice illustret non sine ethico adjumento eo, quod ex propria sua typica conditione accipit, similiter Salomo (Ps. LXXII) suis potius precibus ac vaticiniis id regnum adornat, quod Davidicum quidem fore prophetice intelligit, suique simile at longe idem praeclarius. Primum enim semet ipsum, ut filium regis, nempe Davidicarum promissionum haeredem (1 Reg. VIII, 23 sqq.), suumque regnum commendat Deo, pacatis scilicet rebus publicis justitia potius atque aequitate adornandum. deinde (v. 6 sqq.) in hunc modum componuntur preces, ut vaticinari potius prophetice videatur Salomo, repetita Davidicarum benedictionum copia (cf. v. 8 sq. 11. 17) iterumque confirmata, siquidem ita exaudiuntur Salomonis pro suo regno piae precationes, ut exsequatur Deus id, quod regiae Davidis familiae promiserit, ut illum igitur filium eundemque Davidici regni haeredem instituat completisque theocraticae civitatis exspectationibus exornet, cujus quidem futuram imaginem voluerit sane Deus antea percipi ac delineari prophetice ex typicis et Davidis et Salomonis exemplaribus. Haec fere habeo, quae de typica Davidicarum rerum natura disputem, ad illustrandum videlicet propheticorum vaticiniorum id potissimum subsidium historicum atque ethicum, quod in ipsam historiam, ut a Deo disponitur et proponitur quasi propheticae sanctorum virorum speculationi, cadere mihi quidem videatur. in qua causa si parum effecisse, quod probari possit, viris doctis videar, excusata velim magna rei difficultate certe quaesivisse veritatem judicer. Interim quod antea (p. 81. 123) dixi de Je-

saja et Micha prophetis, futurum Davidici regni haeredem, Messiam, annunciantibus, id in tertium hujus quidem disputationis locum deducit nos.

γ. DE PROPHETARUM OMNIUM CERTO NEXU.

Benignam ac liberalem Dei revelationem prophetis omnibus concessam parcam eandem esse dixi (p. 89) atque ordinatam, nimirum ut hanc legem honorarem, quam non sine magna mea veneratione sequi Deum ex apertis sacrorum librorum indiciis intellexisse mihi visus sum, ut non singulis prophetis, repetitis semper revelationibus, quasi rem integram patefaciat id, quod in communem vitae theocraticae usum dudum ipse suppeditaverit et comprobaverit suis in medio populo editis testimoniis atque etiam illustraverit per prophetices suorum interpretum orationes. Et nemo sane, opinor, erit, qui sanctissimum hunc, quem defendo, atque honestum divinarum revelationum ordinem sentire nolit. testes enim ejus sunt prophetae ad unum omnes, quum discunt ex Mose, quum illustrant legem ac defendunt, a Mose utique proclamatam, non sibimet ipsis singulariter revelatam, quum repetunt antiquam promissionum haereditatem atque in praesentem rerum conditionem applicant, quum ex prioribus prophetis sumunt sequentes, quod suis orationibus ipsi excolant. testis, inquam, est universa Veteris Testamenti historia, quippe quae doceat, internam quoque theocraticae civitatis vitam non fortuito auctam fuisse aut magice, sed organice, ut ita dicam, atque ethice. Jam enim vidimus singulorum foederum a Deo cum hominibus factorum, expressum commercium, debebat utique antecedere Mosaico Abrahamiticum, Abrahamitico Noachicum, Noachico proleptica illa, quam scite (cf. p. 90) dixit Melanchthon, humanae naturae, nempe ad divinam imaginem conformatae, temperatio, sine qua nullum esse poterat hominum cum sancto Deo foedus. Una erat et continua in sancta Dei civitate legum, institutorum, promissionum, veritatum, vitae denique haereditas et communio, unde et haurirent singuli omnes et in quam conferrent rur-

sus si quid, quod ad sustinendam universae theocratiae vitam efficiendamque salutem pertineret, a Deo recepissent ipsi atque in communem civium et fratrum potius usum cum sua virtute prophetica comparassent. Quam quidem rem nemo sane ita se habuisse eat infitias, nisi qui internam certe veteris theocratiae historiam nullam prorsus fuisse voluerit. Scilicet ipsa divina veritas, qua continebatur universa veteris foederis institutio atque alebatur quodammodo, tam vegeta, ut vidimus, erat, ut ex nativa quasi sua ubertate non gigneret quidem aut procrearet prophetica vaticinia, at suppeditatis propheticarum orationum argumentis et regulis vel maxime adjuvaret prophetas, et ethice quidem. Quid enim? quum ex historia sancti populi externa sive rebus a Deo utique in suae legis comprobationem mentisque suae revelationem fortiter actis didicisse semper prophetae appareant, num ex interiore theocraticae familiae penu quasi nil sumsisse iidem videantur, abjecta scilicet spiritalium bonorum pretiosissima haereditate? Immo vero per prophetarum potissimum ordinem, ita videlicet a Deo compositum, tradebatur atque augebatur communis universae theocratiae veritas. eadem erat in omnibus instituti conservandique foederis conscientia, eadem divinae legis auctoritas, idem sanctae spei fundamentum terminusque idem. Necesse igitur erat, ut in singulorum quidem prophetarum orationibus consona quadam voce resonaret quasi id, quod in omnium simul animis communiter inhaerebat, continua traditione asservatum, pro peculiari facultate, divinitus data, a singulis illustratum atque amplificatum. Sed hunc quidem, quem magnopere defendo, prophetarum omnium certissimum nexum, quum jam exemplis quibusdam lautioribus illustrandum mihi assumam, non id ago, ut quam recte illum statuam, comprobem — rem enim ipsam judico nemini facile esse dubiam — sed potius commonstrare voluerim, in expresso illo ac vivo prophetarum commercio quam validum fuerit idemque ethicum singulorum subsidium. Etsi vero vix opus est singulis exemplis. sive enim prophetarum de futuro et judicii et

salutis tempore orationes perpenderis, sive vaticinia de subeundo exilio comparaveris, sive quam ordinate ex communi futurae salutis exspectatione personalis Messiae praesensio nata sit reputaveris, eam in omnibus hisce rei propheticae documentis legem divinitus sancitam admiraberis, ut anteriorum vestigia quasi sequantur posteriores fructusque illorum quidem opera effectos percipiant alteri, in suum usum adhibeant, adhibitosque ac comprobatos usu et excultos novo labore relinquant ipsi posteris. Volebant sane prophetae sicuti debebant discere ex antecedentium auctoritate suarumque orationum materiem et normam sumere. Scholis quoque in hunc quidem, opinor, finem institutis edocebantur, apud magistros, ut apud Eliam Elisa, discipuli vivebant et praeparabantur ita, ut possent ornari divino eo dono, sine quo prophetica quidem virtus nulla est, at quod, ut recipi possit ab homine, non fugit aut contemnit paratam hominis conditionem, sed quaerit illam et appetit [30]). Scio equidem, non omnes prophetas et fortasse paucos, quorum scriptos libros habeamus in manibus, fuisse in gymnasiis illis propheticis institutos. sicuti Amosus vehementer negat quidem, se esse natum aut educatum in humanam ordinis prophetici dignitatem, a Deo potius, ait, se fuisse in propheticum munus destinatum (Am. VII, 14). attamen Amosus quoque, quum expressis verbis sequatur (I, 2) Joelis auctoritatem (Jo. IV, 16), quum provocet ubique ad sanctissimum antiquae legis judicium, quum historiam foederati populi in sua vaticinia adhibere soleat, prodit sane non communem solum vitae theocraticae conscientiam, sed etiam eum cum prioribus prophetis nexum, in quo certam aliquam et ethicam novarum atque ampliorum revelationum occasionem fuisse judico. Etsi Amosus quidem, quoniam verba potius Joelis, ut sonant gra-

---

30) Magna vero et verissima vox Lutheri, cujus saepius laudavimus testimonia, haec est: »Et nullus Propheta, sive Elias sive Elisaeus Spiritum sine Decalogo sive verbo vocali accepit.« Art. Smalc. III. 8. conf. §. 11. Libb. symb. ed. Hase, p. 333.

vissime, repetit quam genuinum ejus vocis sensum confirmat, commonstrat utique, quid debeat ipse Joeli, verum satius quoque posteriores quique prophetae, quam ordinate quamque ethice utantur priorum auctoritate, comprobant, quando in eandem sententiam sequuntur illos et comparetam cum illorum quidem labore prophetico divinam veritatem jam suis rursus orationibus repetunt, illustrant, amplificant. Veluti Micha (IV, 1 sqq.) suum de paganis ad templum Hierosolymitanum undique confluentibus vaticinium aut sumsit ex Jesaja (II, 2 sqq.) aut cum illo sumsit ex veteriore aliquo propheta. certe in utriusque prophetae oratione eam celebrari facile intelliges promissionem, quam Abrahamo primum Deus dederit, ut perfectae religionis maxime propriam, deinde per consonum prophetarum omnium laborem exornari voluerit. Cf. Sach. IX, 10. Ps. LXXII, 8. Porro ex Hosea (II, 25) sumsit Sacharja (XIII, 9), quod suo quidem vaticinio, non sine Deo edito, de restituenda Dei cum hominibus communione praedicaret. et in describenda suavissima mansueti regis imagine (Sach. IX, 9 sq.) Micham (V, 3 sq.) secutus est et Jesajam (IX, 6 sq. XI, 5 sq.), cujus quidem verba (Jes. XI, 15 sqq.) in mente iterum habuit (Sach. X, 11 sq.), quum sanctus Dei populus gloriaretur fore ut hostibus devictis omnibus undique terrarum colligeretur atque in beatas sedes suas reduceretur. Quid multa? rem actam agere facile videbimur. Scilicet instar vivae cujusdam et vegetae haereditatis ea spei veritatisque summa erat, qua quidem Deus communem sui populi vitam sustentari voluit. eam vero sanctissimam haereditatem quam religiosa cum pietate atque industria (1 Petr. I, 10 sq.) conservaverint prophetae et defenderint et auxerint singuli, tum maxime apparet, quando sentiunt quidem, ut prophetae, in antiquioribus orationibus vel typicis rebus latentem aliquam divinae mentis significationem, at parum intelligunt illam. Hujus enim rei quum plurima proficiscantur exempla ex Davidicarum rerum natura, quam antea explicuimus, typica, tum lucidissimum testem arbitror equidem esse Micham prophetam, quippe qui ad hunc

modum mihi videatur sequi Jesajae vestigia, ut et quantum sumserit ex illo et quid ne ipsi quidem non obscurum repetere tamen voluerit atque asservare, appareat. certe sui vaticinii materiem ac regulam et sumsit ex Jesajae orationibus et exornavit ipse ita atque amplificavit, ut in divina hujus quoque prophetae institutione historicum ordinem humanumque laborem facile admiremur. Etenim quod est apud Micham (IV, 8 — V, 14) et de instanti sancti populi castigatione et de certissima servatione venturoque servatore, Messia, dictum, id adeo simile esse arbitror Jesajanae orationis (Jes. VII—XII), ut hujus potissimum prophetae auctoritatem nisi accuratissime comparaveris, illius quidem vaticinium quomodo interpretari possis, ego sane non videam. Maxime vero in eo quod summum est apud utrumque prophetam senties eum nexum, in quo propheticae virtutis conditionem ethicam esse judico. Quid enim? Jesaja quidem quum subobscura oratione virginem illam dicat, ex qua edendum esse ait sui populi servatorem (VII, 14 sqq. VIII, 8. IX, 5 sqq. XI, 1 sqq.), quoniam vult ille quidem desperatam regis incredulitatem castigare (Jes. VII, 14. לכן. Cf. v. 9.) edito prophetice signo; quod debeat latere homines, qui lucidiora propheticarum promissionum documenta contemserint: contra Micha non filium solummodo futurum eundemque theocraticae civitatis regem ac defensorem, ut Jesaja, describit, sed matris quoque suppeditatam semel a Jesaja notionem in propheticum suum laborem adhibet. Sentit enim propheta inesse aliquod divinae mentis vestigium in sancto illo Jesajanae orationis mysterio. itaque licet ne ipse quidem quasi digito monstrare possit matrem illam futuri regis, a Deo mittendi, certe salutis futurae tempus cum eo tempore componit, quo pariens, ut ait, pepererit (Mich. V, 2). Scilicet ut Jesajam primum vegeta propheticae suae virtutis conditio et divina auctoritas ferebat atque incitabat, ut et imminentium suo populo periculorum rationem et futurae servationis ordinem ac personalis servatoris, ex regia Davidis familia orituri, dignitatem castius semper et certius

intelligeret atque gloriosius describeret, sic Micha deinceps, Jesajae vestigia secutus, cum sua rursus prophetica industria, a Deo et ipse institutus, exornavit traditam a Jesaja Messiae promissionem, adjecit fore ut in eo ipso oppidulo nasceretur, ex quo Davidica familia primum orta fuisset, dixit proditurum illum esse ex aeternitate, ut ipsius Dei legatum ac vicarium, nec praetermisit indicatum semel futurae matris mysterium. In qua re omni Micham quidem ab ipso Jesaja maxime adjutum fuisse puto. Apud Jesajam enim, modo cunctam prophetae orationem (Jes. VII—XII) perpenderis, non recte, ut sentio, ab Ewaldio disjunctam, ea futuri servatoris imago sensim emergit, quae tenuiorem illam exspectationem, Ahaso primum propositam, eandemque typica aliqua obscuritate impeditam (Jes. VII, 14) et superet incredibiliter et referat simul, quoniam ex illa quasi radice, divinitus prophetae indita, effloruit quodammodo, adjuvante Deo, ac succrevit lautior posteriorum vaticiniorum fructus. Etenim tribus contineri judico Jesajanam orationem partibus vel gradibus et quasi membris (VII, 1—25. VIII, 1 — IX, 6. IX, 7 — XII, 6.), singulis iterum bipartitis, quum duplex sit propheticae orationis argumentum, tum adversus Israelitas cum Syris junctos habitae (VII, 1—16. VIII, 1—5. IX, 7 — X, 4.), tum de Judaici regni merita castigatione gratiosaque servatione dictae (VII, 17—25. VIII, 6 — IX, 6. X, 5 — XII, 6). Et primum quidem, quum Israelitis Syrisque annunciat interitum per Assyriorum ministerium efficiendum, hujus rei testem esse vult eum filium, quem ex matre adhuc virginali edendum mox esse dicit, cujusque nomen quoque laetissimam exspectationem obsignat (VII, 14—16) sicut ipsius prophetae filii suis nominibus certissimas aliquas Dei promissiones confirmant (VII, 3. VIII, 1. 3. 18). Neque vero Immanuelis matrem neque ipsum filium accuratius nunc quidem describit Jesaja. Eam dicit virginem, et typice quidem, ut puto, si divinam in humana oratione eademque prophetica mentem, post apertam, considero, sed eam, significat matrem, quae virgo adhuc sit, jamjam in matrimonium ducenda, quo-

niam brevi post edere debet filium Immanuelem, qui priusquam tertium vel quartum annum compleverit et ipse passurus sit sui populi miseriam (VII, 15. cf. v. 22.) ab incursantibus Assyriis atque Aegyptiis oppressi (v. 18). Ex hisce vero primordiis jam vide quam illustris vaticiniorum series emergat. Jam enim (VIII, 1—5) interposito fere anno uno et dimidio (cf. VIII, 3 et VII, 14 sq.) quum repetat propheta minationem in Israelitas ac Syros dictam, ad hoc quidem vaticinium comprobandum proprium suum filium advocat recens natum ejusque nomen, quod diras hostibus augurari debeat. at vero Judaicum regnum, ab Assyriis obsessum — jam enim omittit Aegyptios — quod firmissimam habeat salutis exspectationem, hujus quidem rei non signum solum aut pignus est in Immanuele, sed ipsa caussa est in illo, ut in domino ac rege sanctae terrae (VIII, 8. 10. IX, 1 sqq.), jam signa sunt ac pignora in ipso Jesaja ejusque filiis (VIII, 18). Et similiter in tertia orationis parte primum Israelitis annunciat perniciosum Assyriorum incursum (IX, 7 sqq.), deinde, oratione post eversum regnum Samaritanum dicta, quum prodat iterum sanctam Dei civitatem irruenti Assyriorum exercitui, tamen et crudelem hostium superbiam contundit (X, 5 sqq.) et in hunc modum futuram certissime sancti populi restaurationem exornat, ut universam antiquarum promissionum summam, nempe ab annunciato modo servatore eodemque Davidici regni haerede perpetrandam (IX, 1 sqq.), imminentium suppliciorum tristissimae imagini cum laetissima fiducia opponat. Itaque quum Jesaja primum vigentem in semet ipso vaticiniorum materiem, divinitus comparatam, non sine suo labore disposuisset atque illustrasset, quid mirum, quod Micha, qui ex illo et debebat, jubente Deo, et volebat discere, tum Messiae futuri imaginem in Jesajanae orationis similitudinem atque etiam expressius ac lautius descripserit, tum matris notionem, absconditam quidem illam at cum clariore filii dignitate arctissime copulatam haudquaquam neglexerit. Atque etiam temporum rationem quam recte Petrus judicet (1. Petr. I, 11) inquisitam fuisse a pro-

phetis, docet Micha, quum eo tempore finem fore dicat necessariae castigationis, quo destinata mater Messiam enixa fuerit (V, 2). Scilicet quo gloriosius celebrant Jesaja (IX, 1 sqq. XI, 1 sqq.) et Micha (V, 1 sqq.) eximiam sperati regis, ut alterius Davidis, ut Dei vices divina cum auctoritate gerentis, majestatem, eo certius ipsi indicare videntur latiorem quendam atque ampliorem propheticarum suarum exspectationum sensum, quam qui Assyriorum propulsatione et sancti populi liberatione contineri possit. Latet potius in hujuscemodi vaticiniis altius theocraticae spei fundamentum, viget in illis generosior quoque virtutis propheticae caussa, quae quidem et in majorum rerum, ut regni divini paganis quoque aperiendi (Jes. XI, 10. Mich. V, 6), promissionem prophetas ipsa evehit et tempus aliquod longius remotum necessario prospicere cogit. et illud quidem tempus non cum mantica vaticinatione definitur a Micha, sed, ut decet prophetam, cum verecunda divinarum manifestationum observatione quaeritur potius quam indicatur.

B. DE SINGULORUM PROPHETARUM CONDITIONIBUS PECULIARIBUS.

Communes quidem prophetarum omnium, quas superiore disputatione illustravi, propheticae virtutis conditiones ita descripsi, ut ex universo Veteris Testamenti codice, maxime ex singulis omnium simul prophetarum libris, colligerem ea, quae in generalem rei propheticae naturam cadere visa fuerint. Itaque si quid quod probari possit effecimus hucusque, jam facilior restat ac brevior disquisitio de iis propheticae rei conditionibus et adjumentis historicis atque ethicis, quae in singulis prophetis singulariter conspicua sint. Una enim eademque in omnibus viget divini Spiritus auctoritas. quae quidem quum non uniformiter in omnibus se exserat, commonstrat utique ethicam singulorum prophetarum, ut ejusdem Dei interpretum conditionem. Nam in diversis hominibus, temporum diversitate disjunctis, diversos efficit idem Spiritus propheticae virtutis fructus. non idem est omnium sermo ac

stilus, non eadem orationum materies ac caussa, non eadem vaticiniorum perspicuitas aut annunciatarum rerum distincta claritas. Aliter Moses prophetico suo munere fungitur, aliter Maleachia. aliter Joel et Hosea futuram sancti populi castigationem ac servationem praedicunt, aliter Jesaja et Micha. certam aliquam salutem promittunt alii, alii expressius personedem annunciant Messiam. In quibus rebus quum se accommodasse Deum dicant ad indolem et conditionem hominum (ut Baumgarten in Compendio Theologiae positivae. Jen. 1704. Prolegg. Cap. II § 7. p. 78 sqq.), satius, opinor, quam intelligunt ipsi, largiuntur id quod dare plerumque dubitant. Etenim ut toleremus accommodationis nomen parum eruditum, quae tandem caussa est, cur se Deus aliis aliter accommodaverit? In singulari uniuscujusque prophetae inquiunt esse illam indole ac conditione. Nonne igitur ethica caussa est et historica, ex qua necessario efficiatur id, quod summopere defendo, ethicum ac liberum cum homine prophetico divinae auctoritatis commercium, non sine magna injuria saepe a viris doctis neglectum, immo vero negatum haud raro?

Sed in singulis quidem prophetis communes illae, quas supra dixi, universae rei propheticae leges ac conditiones ita vigere debent, ut varios pro hominum temporumque varietate fructus efficiant, quum diversae ipsae esse nequeant. Primum enim communis maxime singulorum prophetarum omnium est sancta illa, quae ethico humanae naturae temperamento continetur, sive indigentia sive parata ad salutarem Dei et cognatam veritatem nobilitas. Deinde ea, quae ex peculiari Dei cum electo suo populo foedere proficiscuntur rei propheticae subsidia ethica et historica, in singulis prophetis singulari modo conspicua sint omnia necesse est. Quemadmodum enim singuli nativam illam, quam saepe laudavi, ac vegetam divinae veritatis naturam pro sua quidem facultate, divinitus concessa, percipiunt, ita sua componunt vaticinia. porro sancti populi historiam universam et praesentium rerum variam conditionem prout intelligunt singuli ac sentiant, vel in

theocraticae communionis ordine et in cuncta prophetarum serie ut suum singuli locum obtinent, ita propheticam suam virtutem exercere debent. Hae enim res omnes in eam cadunt, quae maxime in singulis prophetis consideranda est, vocationem. in qua et quam nulla sit sine Deo prophetarum dignitas, et humana illorum quidem libertas quam ethice cum divina voluntate concordet, re vera comprobatur. Deus enim, ut vult prophetico hominum ministerio uti, ita ipse illos creat, instituit, ducit (Jer. I, 5 sqq. Cf. Jes. VI. Ezech. I—III. Am. III, 4 sqq. VII, 14 sqq. Exod. III. IV.), ergo homines, nimirum nunquam non sustentati a praesente semper in ipsis Dei spiritu, et funguntur ita prophetico suo munere, ut Deo placet, neque vero aliter fungi illo volunt ipsi. Debent enim velle id et cum libero suo labore perficere, quod quidem, ut primum instituti sunt a Deo et vocati, post adjuti semper atque illustrati, a Deo commissum sibi habent, videlicet cum propria sua natura et conditione ethica maxime consonum. Quamobrem non solum ipsi sese erigunt certissima divinae suae vocationis conscientia, verum etiam adversus impiam civium superbiam et pseudoprophetarum invidiam atque paratas saepe insidias divinam eam, quam intus sentiunt, auctoritatem defendunt, atque etiam in scriptis libris collectas orationes enarrata vocationis historia haud raro praemuniunt.

Interim ut satius explicem, quo modo communes rei propheticae conditiones, superiore disputatione illustratae, vigere mihi videantur in singulis prophetis ac temperari peculiari uniuscujusque vocatione, duo, ut video, sunt consideranda. Primum vocationis videamus naturam, quam sit ethica. deinde ex certa hac et quidem ethica singulorum vocatione propheticae illorum orationes, quasi fructus inde procreati, judicandae sunt, idoneis exemplis adhibitis.

Et primum quidem in vocationis ordine duo gradus, quos appellaverim, possunt discerni, unus internus ac principalis, alter externus quodammodo vel historicus potius, videlicet quo excipiatur ille et compleatur et perficiatur. In-

ternam vero illam vocationem in natura hominis sitam esse dico, ut a Deo primum creata est atque instituta ad subeundum certum prophetici officii munus. alteram vocationis partem, quae necessario respondeat illi, hac re contineri mihi videtur, quod certo aliquo tempore ministros suos electos antea ac paratos jubeat Deus prodire in populum suamque mentem interpretari. Illa igitur quum vocatio rectissime appelletur, hanc potius missionem non injuste nominaverimus. Sunt vero utriusque rei in sacro codice exempla satis illustria. Quod enim disertis verbis Jeremjae prophetae confirmat Deus, quum cognitum sibi fuisse dicat hominem et electum et ad propheticam dignitatem destinatum, etiam antequam in lucem a matre editus fuisset (Jer. I, 5); id in Mosis, recens nati, et in Samuelis historia (Ex. II, 1 sqq. 1 Sam. I. II), quibuscum Joannem quoque baptistam atque etiam ipsum Dominum quodammodo comparare licet (Luc. I, 5 sqq. 26 sqq.), conspicuum esse debet, et in omnibus simul prophetis pariter factum fuisse rectissime judicatur (cf. Ps. CXXXIX, 13 sqq.). Homo autem quum internam hanc vocationem intelligit, quum aperit illi Deus suam voluntatem in illo positam, per illum cum prophetico labore efficiendam, tum mittitur a Deo, completa videlicet nativae dispositionis exspectatione et in consciam sui fortemque virtutem provecta. jam igitur nulla amplius est timiditatis caussa aut desperationis in iis, qui ab ipso Deo sentiant sese nunquam non defendi (Jer. I, 8. Am. VII, 14 sqq. Jes. VI, 8. Ez. III, 8 sq. al.). Sed principalis illius quidem ac nativae institutionis quum nulla prorsus esse possit descriptio, altera haec vocatio et missio potius, quam dixi, quam ethica sit, et potest et debet inquiri. Duo, si placet, hujus rei exempla comparemus, Jesajam et Mosem. Jesaja enim (VI, 1 sqq.), quum in propheticum munus induceretur, videbat Deum in coelesti solio sedentem, angelorum hymnis celebratum. Cujus visionis majestate attonitus et suae indignitatis conscientia coram sanctissimo Deo perterritus de vita quoque desperabat, nisi angelorum unus hominis immunditiem abluisset. Jam vero

quum Deus quaerat, quem missurus sit ad populum, non dubitat semet ipsum cum sancta fiducia offerre. et ne tristissima quidem divini mandati sententia, si quidem in justam potius pernicieni obdurati populi quam in salutem legatur, prophetam opprimit, sed quaestionem illius excitat eam, in qua cum maximo desiderio latet spes, a Deo continuo confirmata, fore ut finis tandem aliquando necessariae castigationi imponatur. Et in hac quidem prophetae historia eum veneror ordinem, quo ethica facta sit divina vocatio illa et missio, quoniam non obruta fuisse mihi quidem videtur aut oppressa prophetae natura ab auctoritate divina, sed paratam hominis voluntatem acceptam fuisse sentio a Deo atque ita purgatam, munitam, exornatam, ut maxime cum sancta hominis proprietate, nempe a Deo primum in eum modum composita, concordaret. Scilicet non unam solummodo in historia illa intelligo sese exserentem auctoritatem, non humanam solum Jesajae voluntatem, industriam, virtutem. Deum veneror cum homine agentem et quidem ethice, non mechanice. Neque enim nolens Jesaja, opinor, tractus est in sanctissimi Dei visionem, sed qui solitus fuerit coram Deo populi sui culpam, ex antiqua foederis lege judicatam, meritamque poenam non sine antiquissimarum promissionum recordatione deflere. Inveniebat igitur Deus paratum hominis animum, in quo locus aliqui esset amplioris revelationis, immo vero in quo ipse Deus dudum posuisset ac conservasset materiem quasi ac conditionem prophetici ejus muneris, quod voluit ipse homini committere. Dudum enim habebat Jesaja, ut qui socius esset theocraticae civitatis, et minationum et promissionum divinarum certissimam haereditatem, compositam in foederis legibus, comprobatam semper in foederati populi historia, et communem quidem illam universi populi. verum quoniam Jesajam potissimum Deus sibi elegerat ejusque os, communi videlicet omnium civium culpa inquinatum, purgaverat: quum omnes parati certe esse deberent ad divinas prophetici sui civis et fratris orationes audiendas, prophetica quidem dignitate is unus excellebat, quem Deus ipse in eum

honorem creasset, vocasset, misisset. Pariter vero in Mose investigasse mihi videor id, quod maxime laudo, divinae voluntatis cum humana libertate in prophetica virtute commercium ethicum. Is enim, priusquam mitteretur a Deo in populi sui auxilium (Ex. III. IV), oppressus communi miseria clamabat utique cum fratribus ad Deum (II, 11. 23), neque vero immemor fuisse potest beati ejus foederis, quod cum Abrahamo et Isaaco Deus, nunquam sui dissimilis (III, 14 sq.), fecisset aut promissionum Israelitico populo de occupandis Canaanitarum sedibus (III, 8) dudum proclamatarum. Itaque ex acerbissimo praesentium laborum sensu atque ex firmissima simul felicioris sortis exspectatione quum deberet nasci summum libertatis desiderium, praesertim in eo homine, qui justa iracundia incensus Aegyptiorum unum non dubitaret trucidare (II, 11), duae tamen esse debebant in Mose timiditatis caussae. Populus enim num audire illum vellet et sequi, ut ducem, magna quaestio erat. et ipse quidem, quum tarda voce laboraret, ne non satis esset ad rem agendam timebat. In qua haesitatione debebat sane adjuvare illum primum apud populum eadem, qua semet ipse erigebat in communi miseria, facti semel a Deo foederis conscientia promissaeque felicitatis fiducia (III, 13 sqq. cf. II, 21 sq.). deinde ipse habebat fratrem Aaronem, cujus quidem eloquentiam in suum usum posset adhibere (IV, 10 sqq.). Quid? num ex propheta, ab ipso Deo vocato et legato, hominem facio semet ipsum prudenter examinantem, res omnes diligenter circumspicientem ac ponderantem, deinde fortiter agentem? Non ego, profecto. sed ea quaero in sacra historia vestigia, quae paratum hominem ad Dei mandatum recipiendum ac perficiendum prodant. Scilicet a Deo paratus homo est, volente Deo et adjuvante semet ipsum conditionemque suam omnem examinat, in qua re quoniam convenit Dei revelatio cum intima hominis voluntate, propheta fit homo, et ethice quidem. Nullus in vocato ac misso homine animi motus sine Deo est, neque vero ullus, qui contra propriam hominis naturam efficiatur a Deo, motus.

Quae quum ita sint, consequens necessario esse debet, ut in orationibus quoque singulorum prophetarum ethicae illae leges, quibus generalem rei propheticae notionem contineri vidimus, singulariter conspiciantur. Sed haec quidem res nisi confecta jam est superiore nostra disputatione, quoniam ex singulis omnino prophetis exempla ea sumenda erant, quibus universas rei propheticae leges illustravimus, certe longa definitione aut multis exemplis non eget. Quidquid enim et de nativa veritatis, revelatae prophetis, necessitate ac perspicuitate et de historiae in prophetarum orationes auctoritate et de omnium vivo nexu disserui, id ita solummodo in communem propheticae excellentiae laudem poterat colligi, ut in singulis singulariter conditiones eae, quas dico, ethicae atque historicae vigerent. Unum adjiciam celeberrimum exemplum. Etenim quum Mosem (Deut. XVIII, 15 sqq.) de futuro Messia, ut propheta, vaticinium edidisse saepe dicant Novi Testamenti scriptores (Act. III, 22. VII, 37. Cf. Jo. I, 46. VI, 14. Luc. XXIV, 44. Jo. V, 46), id parum accurate dici interpretes haud ignobiles arbitrati collectivam potius esse Mosaicae vocis נביא sententiam docuerunt. Falso, ut puto. nam et singulari numero edicuntur omnia, quae de propheta illo leguntur, et cum unius Mosis persona comparatur ille unus. Verum originem potius illius vaticinii prophetici, auctore Paulo apostolo nec improbante Luthero (Vid. p. 33) investigari posse judico. Quoniam haec enim Mosaicae legis verissima natura est, ut commonstratis hominum peccatis annunciataque justissima poena ad eum deducat homines, instar paedagogi, in quo est peccatorum remissio, quid mirum est, quod ipsius legis a Deo institutus minister, ejus prophetae notionem, revelatam scilicet a Deo, acceperit, in quo Deus voluit esse legis finem? Scilicet eo tempore insignem illam revelationem accepit, quum demersus quasi esset in praesentem Dei majestatem, legem in Sinaitico monte promulgantis (v. 16). nunquam vero Moses legis sanctitatem et hominum quidem imbecillitatem atque egestatem certius sensisse, quam eo tempore, facile creditur. Itaque ipsius

legis divina natura eliciebat hominis, nempe prophetae, desiderium, quod quo sanctius erat eo certius obviam ferebatur ampliori Dei manifestationi, futurum aliquem prophetam indicantis, cujus quidem personalem quoque imaginem ex sui ipsius typica vel exemplari potius similitudine discere debebat, non sine Deo, propheta Moses. Itaque hanc ipsam ob caussam, quod legis erat minister, debebat esse propheticus illius prophetae nuncius, in quo legis erat, volente Deo, terminus. Jam igitur prophetae quoque, qui post Mosem floruerunt, quam recte judicentur didicisse ex illo omnes et sumsisse ex lege, quae in futurum Christum dicerent, apparet. —

GOTTINGAE,
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
GUIL. FR. KAESTNER.)

396 93

3 2044 069 753 333

The borrower must return this item on or before the last date stamped below. If another user places a recall for this item, the borrower will be notified of the need for an earlier return.

*Non-receipt of overdue notices does **not** exempt the borrower from overdue fines.*

Andover-Harvard Theological Library
Cambridge, MA 02138 617-495-5788

Please handle with care.
Thank you for helping to preserve library collections at Harvard.